IN ORIGINEM ET HISTORIAM ALPHABETI SCLAVONICI GLAGOLITICI VULGO HIERONYMIANI, DISQUISITIO

ANTIQUITATIS POPULORUM SEPTENTRIONALIUM, REIQUE LITTERARIÆ SCLAVONICÆ, ET RUNICÆ STUDIOSIS

A CLEMENTE GRUBISSICHIO PROPOSITA.





VENETIIS,

MDCCLXVI.

Apud Jo. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον
καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων.

Ἡροδοτ. Γερψιχ.



ALphabeti *Glagolitici* (*a*) vulgo *Hieronymiani* investigare origines, opus tum ad Sclavonicæ litteraturæ historiam cognoscendam valde utile, cum ad Sacrarum Versionum eodem idiomate conscriptarum intelligentiam esse necessarium, Doctorum Virorum nemo est, qui neget. Quis enim litterarum Sclavonicarum origine ignota, seu de antiquorum ejus gentis monumentorum proprietate, seu de vetustate Annalium, seu de Artium, Scientiarum, publicique, & privati Juris Ordine, aut judicium ferre, aut certi aliquid statuere possit? Quod si Religionis Historiam, Sanctorum Virorum labores Apostolicos passim apud eas nationes insumptos, Sanctorum Codicum fidem, quæ eo majoris est momenti, quod & in Divinis peragendis propria gentis lingua, propriisque litteris expositi adhibentur, scrutari velimus, quid tam necesse, quam Alphabeti, primorumque elementorum, a quo cætera prorsus omnia pendent, certam cognoscere originem, certamque rationem? Hoc enim fere apud omnes gentes obtinet, ut unde litteras, inde morum quoque formam, inde leges, inde Religionem acceperint: litteræque ipsæ sint voces quædam vetustatis, lumina veritatis.

(*a*) *Glagoliticum* vocatur hoc Alphabetum a quarti Elementi nomine, quod Sclavi *Glagole*, vel potius *Glagoglie* appellant.

Incertam autem esse Glagolitici Alphabeti originem testatur Kohlius (*a*). Inquit enim: " de Glagolitico Charactere non omnia adeo „ expedita, & ad planum deducta esse viden- „ tur. Primum quidem origo ejus admodum „ incerta est." Hinc viri Doctissimi in varias, easque longe diversas abiere sententias. Nam ut cæterorum mittam opiniones, alii Genti Gothicæ Glagoliticum Characterem tribuere, *Methodio Hæretico* Auctore concinnatum (*b*): Alii Characteris ejusdem *Hieronymum* Dalmatiæ decus, Ecclesiæ Catholicæ lumen inventorem fuisse contendunt. (*c*) Alii ex *Cyrillico* altero Sclavonicæ linguæ Alphabeto a Cyrillo Moravorum Apostolo reperto, ortum esse Glagoliticum asseverant: (*d*) Alii denique eas, quas Hieronymianas vocant, litteras, *Truberum*, qui primus Characteres Glagoliticos Typis accommodavit, invenisse putarunt. (*e*)

Sed quæ de *Trubero* Glagolitici Alphabeti inventore Philippus Nicolai Libro *de Regno Christi*, aliique tradiderant, nullam prorsus apud Eruditos Viros impetrabunt fidem. Constat enim, *Truberum* non ante Annum 1562. Novum Testamentum Tubingæ, Hieronymianis, seu Glagoliticis litteris edidisse (*f*), cum longe

---

(*a*) Introduct. in Hist. & Rem Litter. Sclavor. Cap. 2. §. 3. pag. 79.

(*b*) Thom. Archid. Spalat. Hist. Salon. cap. 16.

(*c*) Apud Kohl. Ibid.

(*d*) Frischius in Schedism. Character. Sacr. Sclavonici. (*e*) Kohl. Ibid.

(*f*) Frisch. Ibid. pag. 12. Item Asseman. Kalend. Ecclef. Univ. T. 4. pag. 430.

ge ante hæc tempora, Codices, Breviaria, & Missalia MSS. Glagolitico charactere in Dalmatia extiterint (*a*): nec non & singularis illa apud Raphaelem Levacovichium Acridanum Antistitem *Psalterii versio*, omnium quæ extant antiquissima, usque ab Anno Chr. 1222. a *Nicolao Arbensi* iisdem Hieronymiànis, ut vocant, Characteribus ornata. Itaque extra omnem controversiam ponendum est, *Truberianos* Codices, litteris non de novo inventis, sed ad antiquarum exemplum formatis fuisse editos.

Quod autem ajunt ex *Cyrillico*, altero Sclavorum Alphabeto, Glagoliticum esse ortum, meræ nugæ sunt & Litteratorum præstigiæ: "vix „ enim adduci possum (cum Cl. Kohl.)'ut iis as- „ sentiar, qui vel a *Cyrillico* non distinguen- „ dum, vel a *Cyrillico* esse ortum Glagoliticum „ asseverant: tanta enim utrosque Characteres „ comparantibus diversitas elucet, ut nulla pro- „ pemodum littera alterius similitudinem refer- „ re, aut ex ea nata esse potuisse videatur."(*b*)

Porro etsi Hieronymum Glagolitici characteris esse inventorem, eundemque bibliorum Sclavonicorum interpretem plurima doctorum Virorum suffragia affirmant, plura etiam, & graviora sunt, quæ negant: ut videre est apud eundem Kohlium (*c*); qui tamen pedibus potius, quam mente, ut quidem solet, & ratione in eam sententiam abiisse videtur, qua statuit " Glagoliticum Alphabetum longe recen- „ tioris esse originis, quam ut Hieronymo tri-

 „ bua-

(*a*) Assem. Ibid. pag. 422.
(*b*) Kohl. Ibid. pag. 80.
(*c*) Id. Ibid. pag, 68. & seq.

„ buatur. " (a) Nullum enim adducit suæ sententiæ testem, præter Jo. VIII. ejusque Epistolam, in qua litteras Sclavonicas a Constantino *quodam*, vel *quondam* Philosopho inventas esse notatum est: quam idem Kohlius pag. 130. integram ita transcribit: " Litteras (Pontifex ait) Sclavonicas a Constantino quondam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonant, jure laudamus, & ut eadem lingua Christi Dei Nostri præconia, & opera enarrentur jubemus. Neque enim in tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate Sancta monemur, quæ præcipit, dicens: *Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi*: Et Apostoli repleti Spiritu Sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc Paulus cœlesti quoque tuba intonat monens: *omnis lingua confiteatur, quod Dominus Noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. De quibus etiam in prima ad Corinthios Epistola satis & manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive Sacrum Evangelium, & lectiones Divinas Veteris, & Novi Testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia Horarum Officia persolvere. Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hæbr. sc. Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. " Sed cum Constantinus iste idem sit cum *Cyrillo* Alphabeti Cy-

(a) Id. Ibid. pag. 77.

Cyrillici Auctore, Methodiique Moravorum Episcopi fratre, ut docet Cl. Assemanus, (*a*) nullum inde capere potest præsidium Kohlii sententia, quæ Glagoliticum, & non Cyrillicum Alphabetum recentioris Hieronymo originis esse proponit.

Nec obstat vetusti illius Auctoris a Frehero editi, qui circa An. Ch. 878. scripsit testimonium. Is postquam narrasset, Aldavinum Orientalis Pannoniæ Richaldum constituisse Episcopum, hæc adjungit: (*b*) " Hic multum temporis ibi demoratus est, exercens suum potestative officium, sicut illi injunxit Archiepiscopus suus, usque dum quidam Græcus (*c*) *Methodii* nomine noviter inventis (*d*) *latinis* litteris, latinam linguam, doctrinamque Romanam, atque *linguas* (*e*) auctorabiles latinas Philosophice *superdicens* (*f*) vilescere fecit cuncto populo ex parte Missas & Evangelia, Ecclesiasticumque Officium illo-

(*a*) Kal. Tom. 4. pag. 3.

(*b*) Apud Kohl. p. 109. Item apud Assem. Kal. T. 3. cap. 2.

(*c*) *Methodii*. Assemanus legit *Methodius*.

(*d*) *Latinis*. Kohl. scribendum censet *Sclavonicis*. Assemanus *Sclavinis*.

(*e*) *Linguas*. Assem. " Omnino, inquit, scribendum *Litteras*. " Idem & Kohl.

(*f*) *Superdicens*. Kohl. & Assem. *Superducens* Superdicere tamen Scriptoribus medii aevi est *criminari*; Superducere vero, *male habere*, vel *in jus vocare*. Ita Changius in Glossario. Sed aliter hanc vocem interpretatur Kohl. quem vide pag. 110. *in Not.*

„ rum , qui hoc Latine celebrarant . " Non obſtat, inquam ; ſiquidem :

" Nil agit exemplum, litem quod lite re-
„ ſolvit . "

Cum enim dicta Auctoris Freheriani verba non definiant, quibus litteris noviter inventis, quove Alphabeto Methodius, aut Græcus ille, qui Methodii nomine latinas criminabatur litteras, ſit uſus, incertum eſt eas Glagolitici Alphabeti fuiſſe potius, quam Cyrillici . Quin certe de hoc poſtremo id eſſe intelligendum ſuſpicer ; quod nec Kohlius quidem ipſe inficiatur . Inquit enim . (*a*) " Hoc ipſum argumento no-
„ bis eſt, non Dalmaticis, ſed Cyrillianis lit-
„ teris , quas vocant, monumenta ſacra quon-
„ dam conſcripta . " Equidem Cyrillianum Alphabetum confirmavit Pontifex (*b*): litteræque Cyrillicæ , ſeu Conſtantinianæ Græcam originem, longe melius , quam illæ , quas Hieronymianas, & Dalmaticas vocitant, referentes, Græcos homines Cyrillum, & Methodium magis decebant .

Sed inquit pag. 77. " Quid enim gravius eſt
„ ipſius Pontificis Jo. VIII. teſtimonio , qui
„ in Epiſtola jam pluribus commemoranda ,
„ litterarum Sclavonicarum inventum Cyrillo
„ uni adſcribit, non Hieronymo, quem tamen
„ utpote magnæ apud Pontificios exiſtimationis
„ Doctorem, ſi vel minimam veritatis ſpeciem
„ habuiſſet, haud dubie commemoraſſet ? " Verum enim vero ſi qua vis huic argumento ineſ-

---

(*a*) Ibid. pag. 110.
(*b*) Ibid. pag. 113.

ineſſe poteſt, ea certe hoc tantum confeciſſe videtur Cl. Auctor, ut probet quidem Hieronymum non fuiſſe Cyrillici Alphabeti inventorem; non vero Alphabetum Glagoliticum longe *recentioris* eſſe *originis*, quam ut Hieronymo *tribuatur*.

Hinc patet, omnino certam non eſſe Thomæ Archid. Spalatenſis traditionem, qui docet „Gothicas litteras a quodam Methodio *Hæ-„ retico* fuiſſe repertas, qui multa contra Catho-„ licæ fidei normam in eadem Sclavonica lin-„ gua mentiendo conſcripſit" (*a*). Vel enim litteras illas Gothicas appellat Archidiaconus, quæ Glagoliticum Alphabetum componunt, vel illas, quæ Cyrillicum. Si primum, ejus litteræ, ſi

(*a*) Hiſt. Salon. Cap. 16. *Hæretico*. Recte de hac re Cl. Aſſem. Tom. 3. Cap. 3. pag. 139. Qui accuſationis hujus auctorem *Wichinum* facit. Hunc autem Wichinum Tom. 4. Cap. 3. pag. 194. eum eſſe Epiſcopum dicit, quem Coſmas Pragenſis *Wracken* appellat. *Allemannum* vero fuiſſe docet Auctor a Frehero editus apud eumdem Aſſem. T. 3. cap. 4. pag. 282. Sed cum Wichinus in Evangelica prædicatione adjutor fuerit Methodij, linguamque Sclavonicam neceſſario noviſſe debuerit, credibile eſt eum, licet Allemannica origine creatum, ex Illyrico cum Methodio in Moraviam adveniſſe. Nam *Wrachienorum* Familia antiquitate præſtantiſſima, in Urbe Aſcrivienſi, atque intra Serbliæ limites conſtituta, ingenitæ nobilitatis non intermiſſam ſeriem etiamnum rite repræſentat: Viroque noſtra ætate prope ſingulari Sereniſſimæ Venetæ Reipubl. a Conſiliis Tryphone, *merito* ac *jure* laudatur.

ſi demus, fuiſſe a Methodio repertas, Gothicæ eſſe non poſſunt. Hæ enim ab Ulphila, qui longe ante Methodii hujus tempora, quin ipſa Hieronymi ætate floruit, inventæ, aut forte ex Geticis vetuſtiſſimis reformatæ ſunt (*a*); ſi alterum, quomodo ſtare poteſt, ut a Methodio inventæ ſint, cum Pontificis oraculo certum ſit, eas a Conſtantino, ſeu Cyrillo Methodii fratre fuiſſe repertas?

At forte valde non errat idem Archid. quatenus litteras illas, quibus Sclavi ætate (*b*) ſua in ſacris utebantur, Glagoliticas nempe, *Gothicas* appellat: Sclavorumque gentes *Gothicæ originis* fuiſſe ſupponit. Hæc duo antequam ad propoſitam Glagolitici characteris originem acce-

(*a*) Maſcov. Hiſt. Germ. lib. 7. §. 4.

(*b*) Hanc opinionem Thomæ Archid. ſuaſiſſe potuit uſus Gothicorum nominum apud Sclavos Dalmatiæ, vel ipſa ſua ætate receptus, cujuſmodi eſt illud *Domaldi* Ducis Cliſſij, ſub quo Spalatenſium varii in captivitatem ſunt abducti: „ tunc capti ſunt (inquit) de nobilibus & divitibus Civitatis V. Cazzeta Duymus Fermini, Leonardus Cavall. Jacobus Duſcica, Griſogonus (*nomen hoc perſonæ eſt, non familiæ*) & alii pluſquam LX. & non ſine ignominia in caſtrum ad *Domaldum* delati ſunt". Sic *Ulphus* ille Sacerdos advena, qui ſub Laurentio Spalatenſi Archiepiſcopo Sclavonicum Clerum propter Synodi Spalatenſis Statuta, *ut nullus de cætero in lingua Sclavonica præſumeret divina Myſteria celebrare*, ad Schiſma concitavit, *Gothicum* nomen geſſit: nec *Gothicum* modo, verum & vetuſti illius *Ulphilæ* Gothicarum in *Mæſia* litterarum inventoris proprium.

cedamus, examinanda sunt, ne contra communem Scriptorum auctoritatem, qui tum Gothos, tum eorum litteras Germanis tantum adjudicant, sententiam temere protulisse videamur.

Igitur si *Getæ*, & *Gothi* eadem gens olim extitit, ut tradit Jornandes (*a*) certe in ipso Getarum nomine Sclavonici generis vestigia deprehendimus. *Gete* enim Sclavis *Serblis*, & *Diete* Sclavis *Bosnensibus puerum* vel *Juvenem* sonat: unde *Getza*, & *Dietza Juvenes*, & *Juventutem* significant. Non inficior tamen ob eandem causam posse etiam *Theutones* Germaniæ populos *Getarum* nomine vocari; inquit enim *Guilielmus Leibnitius* in Præf. ad Annal. Bojor. Adelzleiteri: „ Veterum gentium nomina interdum origine sua nihil aliud significare, „ quam gentem, hominemve in universum... „ sic Theutones, Volcæ, Boji, Madures, Gentes, Populos, Juvenes, Viros denotabant. „ *Thiet* in veteri Germanico, & hodierno Saxonico plebejo est *gens* & *plebs*". Ex quibus patet *Thiet* Germanicum perinde esse ac *Diete* & *Gete* Sclavonicum, eandemque fere significationem olim habuisse. Non enim modo quemlibet populum, & plebem, gentemque & hominem in universum veteres Germanos ita vocasse, sed gentes potius & homines κατ' ἐξοχὴν, idest *bellicosos juvenes* intellexisse, suspicor: quemadmodum & Sclavi nomine *Getich*, & *Dietich* non juvenes quoscumque, sed eos maxime quos Germani veteres *Bojos*, Sclavique ipsi simili vocabulo *Vojnikos*, *bellicosos* scilicet *juvenes* intelligunt. Quare „ut ad metam „ re-

(*a*) De Reb. Get.

„ revertar (verba ſunt Georgii Stierhielmii) „ & quæ mea ſit ſententia de origine nominis „ Gothici ſincere aperiam; puto a notione & „ nomine *Pueri*, indeque *Juvenis*, & hinc *Militis*, nationi non ſolum Gothicæ, ſed affinibus etiam nomina indita.... Eadem prorſus ratione nomen *Gete*, *Gote*, *Gut*, ideſt „ *Puer* (a *Gete* gignere, a quo etiam Gotte, „ tibimetipſi obſervatum, *Militem* ſignificare) *Juvenis*, atque inde *Miles* tranſivit in nomen ipſius nationis & gentis, Getarum, Gothorum, Gutarum. Quod uti certum, & indubitatum aſſerere, vererer, niſi viderem, & „ mihi compertum eſſet, idem multis noſtræ „ affinibus nationibus contigiſſe... *Thiod* varie „ ſcribitur, & pronunciatur: *Thiot*, *Thiod*, „ *Thiat*, *Thied*, *Diet*, *Theod*, *Deod*, *Tiud*, „ *Tiid* ec. Cambris *Tud*, Terra, Armorice „ *Gens*. *Ty* & *Tyaid*, *Domus*, *Familia* ſervis „ conſtans & ancillis. Ulphilæ *Tiud*, Gens, ad „ quam vocem vide Fr. Junium, in Gloſſario, ubi dicit: *ab hoc etiam Thiod factum eſt* „ *Theotiſc*, Gentilis. *Unde Francis Alemanis* „ *omnes gentis ſuæ homines Theotiſci dicebantur*, „ *& lingua Francica ſive Alemanica nuncupatur iis Theotiſca*, *quaſi dicas* gentilis, ſive „ vernacula. Sed unde *Thiod? a thiena*, *tiona* „ Anglo ſax. *Theovian*, ſervire, hinc *Theov* Servus, *Theova*, & *Thiva* (unde Moſcoviticum „ *Dieſca*, Svecis *Daſa*) *Tio*, Ancilla. Ulphilæ *Thiumagus*, Puer Servilis, *Thive* Famulus, Thivi, Ancilla. Et ab hac notione eſt „ *Theod*, *multitudo in unius Domini ſervitia*, & „ *obſequia conſentiens*. *Thiot* Gens, *Multitudo* „ *ſervientium*, *ſeu parentium ſubditorum*, *Plebs*

„ *ſer-*

„ *fervilis*, & in genere populus univerfus. Hinc „ ortus nominis *Theotifci*, *Teutfch* (*a*).

Accedit, quod vetufta Theutonum lingua *Iet*, *Gigas* appellabatur. Ion. in Rep. Dan. pag. 342. „ Unde etiamnum *En Iet* Gigas di- „ citur " Gigantes autem, ut Sacræ litteræ teftantur, erant " potentes a fæculo, *Viri famo-* „ *fi* " (*b*). Quæ verba Scripturæ forte Getarum, Sclavorumque nomen a *gloria*, feu *fama* derivatum notaffe videantur. Nam apud Sclavos *Dalmatiæ*, *Dieca*, & apud Sclavos *Serblos Geca*, *laudem* quoque, feu *Gloriam*, a qua Sclavonicum nomen deffumptum eft, fignificat. Quare & Photius in Synopfi *Theophylacti Simocattæ* lib. 3. hac Getici & Sclavonici nominis notatione inductus fcribit, quod Sclavi Getæ antiquitus appellati funt Γέται τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο: quod & idem *Simocatta* confirmat, ubi ait: τοῦτο γάρ τοῖς βαρβάροις (Sclavis) πρεσβύτερον ὄνομα. (*c*) Ergo *Getarum* nomen tum a *Juventute*, tum a *gloria militari* juventutis propria ortum effe non dubitamus: Sclavorumque ipforum denominationem eidem fynonimam effe cum Photio, & Simocatta concludimus.

Denique Getæ illi, qui Daciam veterem colebant, litteras & leges habuiffe dicuntur, quas pro-

(*a*) Apud Nicol. Kederum in differt. cui titulus: *Nummi aliquot diverfi ex argento præftantiffimi; nempe decem Olai Svevi ec.* Lipfiæ apud Jo: Fridericum Gleditfc An. M.DCC.VI.

(*b*) Gen. Cap. 6. verf. 4.

(*c*) Apud Affem. Kal. Tom. 2. Part. 2. Cap. 6. pag. 297.

propria lingua *Bellagines* appellabant; inquit enim Jornandes (*a*) " Physicam tradens (*Dice-*
„ *neus*) naturaliter propriis legibus vivere fecit,
„ quas usque nunc conscriptas *Bellagines* nuncupant: " *Bellagines* vero vox est Sclavonica, siquidem apud Sclavos etiamnum *Vladjanje*, & *Vlagjanje*, *Leges* seu *populos regendi norma* interpretatur. Hinc *Vladi-mirus*, *Rector-populi*, (*b*) *mir* enim populus; & *Vladi-sclavus*, *Rector-Gloriosus*, Sclavonica nomina: item *Vladjeca*, & *Vlageca*, *Rector*. Quid ergo sequitur, nisi ut Theutonos, & Sclavos seu Getas agnatas, vel saltem similis linguæ Gentes aliquando fuisse dicamus; eosque ea de causa Gothos similiter vocari?

Certe *Scandinaviæ*, seu *Codanoviæ* antiquissimi incolæ uno nomine *Theutones* vocabantur. Mela: " Ex iis *Codanovia*, quam adhuc *Theu-*
„ *toni* tenent, ut magnitudine alias (scil. In-
„ sulas), ita fœcunditate antestat." (*c*) Gothos autem *e Scandinavia* profectos esse tradit Jornandes: „ Ex hac igitur *Scanzia* Insula quasi
„ officina gentium, aut certe vagina nationum,
„ cum Rege suo nomine Berig *Gothi* quondam
„ memorantur egressi." (*d*) *Sclavos* vero esse veterum *Vinidos* idem Jornandes dissertis verbis as-

(*a*) De Reb. Getic.

(*b*) *Mir.* Hæc vox apud Sclavos, *populos*, *pacem*, urbium denique *mœnia* significat. Veteri Gallicæ linguæ in nominibus propriis vivorum terminandis frequens fuit, ut notat Gesnerus in Mithrid. Hinc *Gelimeres* Vandalorum Rex, quasi *Xeli-Mir* *Desiderium populorum*, vel *pacem desiderans*.

(*c*) Lib. 3. cap. 6.

(*d*) De Reb. Get. Cap. 2. in princip.

affirmat. " Introrſus illi Dacia eſt ad coronæ „ ſpeciem arduis Alpibus emunita, juxta quo„ rum ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem ver„ git, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa „ ſpatia venit, *Vinidarum natio populoſa* conſedit. „ Quorum nomina *licet nunc per varias familias*, „ *& loca mutentur*, principaliter tamen *Sclavini*, „ & *Antes* nominantur." (*a*) Hos idem Jornandes alibi *Venetos* vocat; inquit enim: " Nam hi, „ (*Veneti*) ut initio expoſitionis, vel Catalogo „ gentis dicere cœpimus, ab una ſtirpe exorti, „ tria nunc nomina reddidere, ideſt *Veneti*, „ *Antes*, *Sclavi*." (*b*) Et quidem optime; nam quod apud Græcos eſt αἰνετοὶ, *celebres* & *laudabiles*, id apud Sclavos ſonat *Sclavi*, & *Slavi*. Utrumque enim nomen a *laude* ſeu *gloria* desſumptum eſt. Quæ ſane etiam idem Jornandes confirmat, ubi agens de *Venetis* Italiæ populis, hæc refert. " Ravenna Urbs inter paludes & „ pelagus, interque Padi fluenta, uni tantum „ patet acceſſui, cujus dudum (ut tradunt ma„ jores) poſſeſſores *Eneti*, ideſt *laudabiles* dice„ bantur." (*c*) Item Paulus Diaconus de Geſt. Longobardor. Lib. 2. cap. 1. de *Venetis* Adriatici agens dicit: " Eneti enim, licet apud La„ tinos una littera addatur, græce *laudabiles* „ dicuntur." Notæ editionis *Muratorii* ibidem addunt: *laudabilis ſive prædicabilis*, αἰνετὸς, *a voce primitiva* αἶνος, *quæ laudem ſignificat*. Sed puto quidem, Enetos proprie dici voce ducta ab αἶνος; Vindos vero, ſeu Venedos, qui ab Ene-

(*a*) Ibid. Cap. 2.
(*b*) Ibid. cap. 7. in fin.
(*c*) Ibid. c. 9.

Enetis diversi non sunt, non ab αἶνος, sed a *φαίνομαι luceo, videor* a Græcis fuisse appellatos; quæ tamen appellationes idem fere significant, suntque *Sclavorum* denominationi synonimæ. Voces enim istæ *laudabiles*, *illustres*, *spectabiles* idem omnino audiunt, ut infra patebit. Convenit & Hunnicum nomen, *Fenes*, *Fenies*, idemque significat, quod *Clarus*, *lucidus*, *illustris*. (*a*) Hinc & veteres Geographi propter nominis, morumque similitudinem *Sarmatas Venedos* cum Adriatici *Venedis* confundunt: *Electridasque* insulas in sinu (*b*) *Venedico* positas, & *Melanchlænos* in sinum Adriaticum transtulerunt. (*c*) Quare & *Antarum* nomen ad eandem significationem erit reducendum, si a Græco verbo αὔθω, quod aliquando pro *inclarescere*, & *celebrari* usurpatur, ortum esse putemus: atque ita *tria* ejusdem gentis *nomina* a Jornande memorata, tribusque diversis vocibus distincta, idem omnino audire cognoscuntur; *Venedosque*, & *Antas* Græcas tantum esse Sclavorum nominis interpretationes. Quod si Sclavi, Getæ utique, Thracesque fuerunt, quemadmodum dictum est supra; certe & *Antenoris* nomen Regis Thraciæ celeberrimi, urbisque Patavinæ conditoris ad hanc originem, *Antarumque*

(*a*) Ita Belius in Differt. de Vetere litteratura Hunno-Scythica Sect. II. §. 4.

(*b*) Tacit. de Mor. Germ.

(*c*) Scylax in Periplo. De Melanchlænis ita Herodot. Lib. 4. " Melanchlæni omnes indumenta „ nigra gerunt, unde & cognomen habent, qui „ soli ex his humana carne vescuntur, institutis „ scyhicis utentes.

que genus poterit pertinere. Sed hæc de Sclavorum nominibus antiquis satis, ne ea plus justo persequentes, vera etiam dicendo, nugas agere videamur.

Porro *Sarmatas Venedos* totum Septentrionalem Maris Germanici tractum, usque ad Vistulam fluvium, ætate sua coluisse testatur Plinius. Inquit enim: " Sevo Mons ibi immen„ sus, nec Rhiphæis jugis minor immanem ad „ Cimbrorum usque promontorium efficit si„ num, qui *Codanus* vocatur, refertus Insulis: „ quarum clarissima *Scandinavia* est, incom„ pertæ magnitudinis, portionem tantum ejus, „ quod sit notum, *Hillevionum* gente D. inco„ lente pagis, *quæ alterum Orbem Terrarum eam* „ *appellat*. Nec est minor opinione Eningia. „ Quidam hæc habitari ad Vistulam usque flu„ vium a Sarmatis, *Venedis*, *Scirris*, & *Hirris* „ tradunt. " (*a*) Ubi in *Hillevionum* gente, Scandinaviam Insulam alterum *Orbem Terrarum* appellante, vel ipsa Plinii ætate, nobile apparet Sclavonicæ linguæ, (*b*) vestigium. *Orbem* enim *Terrarum* Sclavorum lingua *Svith* appel-

B lari

(*a*) Hist. Nat. Lib. 4. cap. 13.

(*b*) De Sclavonica Lingua ita in Notis ad *Olahi* Hungariam Lib. I. §. 3. " Slavicæ gentes omnes „ una eademque utuntur lingua, non magna ad„ modum pronunciationis differentia, & minutis „ quibusdam aliis, quæ dialecti solent venire no„ mine, diversa. Si quis, uti ego, gente Slavus „ sit, & levem, exemplo meo, temporis exigui „ operam cognoscendis linguæ nostræ dialectis reli„ quis impenderit, non ægre gentem nostram om-

nem

lari periti omnes norunt, unde *Svithiæ*, *Svetiæ*, seu *Sveviæ* nomen (quæ Scandinavia est) ortum esse, luce meridiana clarius apparet. Quare nil moror ea, quæ Cl. Muratorius super hujus nominis expositione ex Germanica lingua, longius tamen petita, edidit; inquit enim: " *Svithones*. Svethones. Suvithen. *Sudatores*, „ *laboriosi*. Svethans, & Svethidi apud Jornan- „ dem, Sveones corrupte, apud Tacitum. Sve- „ di, Adamo Bremensi. Sveti Saxoni, unde Sve- „ tia. Et corrupte Svecia, & Sveci, sicut ex „ Dania Daciam fecere. *Svitger*, *laboris amans* in voc. Al. *Svidrich*, *labore pollens*. (*a*) Itaque quos Plinius *Sarmatas Venedos*, *Scyrros*, & *Hirros* vocat, eosdem Tacitus (*b*) Plinio recentior Sclavonico nomine corrupto Sveones, seu Svevos, idest *Svithones*; Ptolemeus (*c*) Venedas

„ nem loquentem simul & scribentem intellexerit; „ &, si res fortunaque postulet, ab Adriatico Mari „ per plagas Orbis Septentrioni subjectas ad confi- „ nia Sinensium Imperii se ipse duce & interprete „ pervenerit: ne commemorem facultatem prorsus „ eximiam, quam feliciter imitandis peregrinorum „ idiomatum sonis, quod lætus ipse expertus sum, „ sermo noster procurat. Hæc adnotare libuit meo- „ rum Slavorum gratia, ne linguam gentemque „ suam minus, quam solent, unquam diligant „ propter cavillationes quorundam, qui itidem Hun- „ gariam incolunt: nam & aquæ usus, quod vulga- „ ris est, & latissime patet, raro ab aliis, nisi ab „ helluonibus contemnitur." Koll.

(*a*) Tom. 1. Script. Rer. Ital. pag. 373.

(*b*) De Mor. Germ.

(*c*) Geogr. Lib. 3. cap. 5.

das (scil. *Sclavos*) per totum Venedicum sinum diffusos, appellat.

Præcipui autem earum gentium erant Theutones, Gothi, Hilleviones, Vandali, Rugi Lemovii, Heruli, Estii, Finni &c. quos videre est apud laudatos Geographos, & apud eundem Tacitum. Eas tamen omnes *Venedicæ* originis fuisse, non ausim dicere. *Venedis* autem fuisse conjunctos omnes, viresque maiores, & nomen penes *Venedos* extitisse, existimo; siquidem ab his *Svevicum*, & *Venedicum* Mare diximus appellatum. Tres autem Venedorum populi in Europa numerantur: in Septentrione, Gallia, Adriatico. Hos vero alii Paphlagonum (*a*) sive Phrygum, ut Strabo ib. Alii Medorum colonos apud Herodotum Lib. 5. dixere. Venedi ergo isti ex Phrygibus & Medis

 coor-

(*a*) Paphlagones Phryges esse docet Bochartius Geogr. Sac. Lib. 3. cap. 10. Hinc forte Poloni *Lacèi*, & *Polachi*, quasi *Paflachi* vocantur: Sclavique alii, quos *Vlahos*, *Flachos*, & *Valachos* dicimus; & nomine composito *Moro-Vlachos*, idest Nigros Paphlagones. Hos Lib. 6. Lucius *Nigros Latinos*, & *Nigros Romanos* appellat, apud quem Leonicus " Dacorum, sive Valachorum lingua (inquit) „ similis est Italorum linguæ, adeo tamen cor„ rupta, & differens, ut difficulter Itali queant in„ telligere, quæ istorum verbis pronunciantur; „ unde autem lingua, moribusque Romanis usi, in „ istam regionem accesserint, ibique sedes fixerint, „ a nullo mortalium accepi. " Dicuntur autem *Nigri*, quasi *Melanchlæni*, idest vestibus *Nigris* utentes ad distinctionem Romanorum, qui *Albis* vestibus utebantur.

coorti fuisse videntur. Quare & in Illyrico Venetis Adriæ proximo tum Phryges, tum Medi apud veteres Geographos ponuntur. Porro Hilleviones, a quibus Scandinavia *Svithia*, ideſt *Terrarum Orbis* eſt appellata, *Venedos* quoque dicere non dubitamus. Item *Vandalos* esse Sclavos, seu *Venedos* ex ipso illorum nomine demonſtramus, Germanice enim, vox iſta: *Vandali*, solet interdum *Vagos homines*, *erroneſque* quosdam denotare. (*a*) Tales enim Vandalos olim fuisse ex Tacito cognoſcimus. " Quid-„ quid inter Peucinos (inquit) Fennosque Syl-„ varum ac montium erigitur, (*Venedi.*) „ latrociniis pererrant." (*b*) Præterea *Vandalos* ipsos, & Sarmatici generis prius, & Gothorum agnatos fuisse tradit etiam Procopius (*c*), ubi ait. " Gothicæ gentes multæ quidem, „ & *aliæ prius* fuerunt, quam nunc. Omnium „ autem maximæ, ac potiſſimæ, Gothi, & „ Vandali, & Visigothi, & Gepides, *jamdu-„ dum Sarmatæ*, & *Melanchlæni* appellati. Sunt „ qui *Geticas* gentes has vocant, qui omnes „ nominibus quidem inter se differunt, cæte-„ ro conveniunt." Fruſtra igitur Cluverius *Vandalos* a Vinidis origine diverſos fuisse con-„ jectat, his verbis: " *Vinidos*, equidem, si-„ ve *Venedos* fuisse Sclavos, ideſt Sarmatas su-„ pra satis validis, certisque probatum eſt mi-„ hi argumentis. At Vandalos, sive Vindelos „ fuisse Germanos citra Viſtulam colentes, „ jam CCCC. circiter annis ante Venedorum, „ sive

(*a*) Grot. apud Aſſem. Kal. T. 1. c. 6. p. 282.
(*b*) De Mor. Germ.
(*c*) De Bell. Vandal. Lib. 1. cap. 2.

„ five Sclavorum in Germaniam transmigra-
„ tionem teftati funt luculentiffimi Auctores
„ Plinius & Tacitus, quorum hic etiam tam
„ vetuftam eam indicat jam tum habitam fuiſ-
„ fe adpellationem, uti unum ex ipfius Dei
„ Tuifconis filiis eo nomine adpellatum fuiffe
„ quidam crediderint." (*a*) Fruftra etiam Cl. Affemanus demonftrare nititur, Vandalos origine diverfa a Venedis Sclavis extitiffe. (*b*) Ut enim tam *Gothos*, quam Vandalos, *alias prius* gentes fuiffe, fcilicet *Sarmaticas* ex Procopio didicimus: ita hos omnes *Theutones* nempe, *Svithonesque* (Sclavonica nomina) *Venedos* fuiffe, iisdemque Sclavonicis vocibus temporibus antiquiffimis appellatos, tum ex Ptolemeo, tum ex Plinio jam demonftratum eft. *Rugios* infuper Sarmaticæ, feu Venedicæ originis fuiffe jam inde patet, quod & hi inter Gothos numerentur. Inquit enim Procopius: " *Rugi*, nam & hi Gothica erant ex natio-
„ ne." (*c*) Hos Helimoldus æque ac *Vinulos*, feu *Vandalos*, & *Venedos*, Sclavos appellat:
" Altera Infula longe major eft contra Vilzos
„ pofita, quam incolunt Rani, qui & *Rugia-*
„ *ni*, gens fortiffima *Sclavorum*, qui foli ha-
„ bent Regem. Hi ergo funt Vandalorum po-
„ puli diffufi per regiones, & Infulas Ma-
„ ris." (*d*) *Finnos* denique Hunnicam gentem fuiffe, putat Belius: qui & affirmat, fe re-

(*a*) Germ. Ant. apud Murat. Script. Rer. Ital. Tom. 1. pag. 425. in Not.

(*b*) Kal. Tom. 1. part. 2. cap. 5. pag. 277.

(*c*) De Bell. Gotth. Lib. 3. cap. 1.

(*d*) Chron. Sclavor. Lib. 1. cap. 1.

liquas linguæ Hunnoſcythicæ in Finnico idiomate deprehendiſſe. (*a*) Sed de his poſtea.

Cum ergo populi iſti Venedi, ſeu Sclavi, inter Germanos degerent, Germanicis moribus & lingua, mores patrios, linguamque ſuam primigeniam commutarunt. Hinc Tacitus, ubi de Svevis agit, eos quidem Germaniæ populis accenſet; Venedos vero alios Transviſtulanos, qui Sarmatiam tenebant, Germanos omnino appellare reformidat. (*b*) Illi enim Venedi Germanis utique erant propinqui, ſed mores patrios, & linguam puriorem, quam Svevi ſervabant, qui Germanorum ritus imitabantur. Denique quando Gothi e Scandinavia ſunt egreſſi, tunc & propriæ ſtirpis populos, & multos alios imperio ſuo ſubdiderunt, illosque maxime propter imperii, armorumque ſocietatem Gothos vocarunt. Ita enim Jornandes; " Unde mox promoventes ad ſedem Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas incolebant, " caſtramentati ſunt (Gothi) eosque commiſſo " prælio propriis ſedibus expulerunt, eorumque vicinos *Vandalos*, jam tunc ſubjugantes, " ſuis appellavere victoriis. (*c*) Atque ita factum eſt, ut floridis Gothorum rebus pene univerſa ſileat Sclavorum, Venedorumque Hiſtoria; inque Geticos & Sarmaticos *Glorioſæ*, & *Populoſæ* ſtirpis labores, *Germania* ſociata intraverit.

Germanos autem appello veteres quosdam po-

(*a*) De Vetuſt. Litterat. Hunno-Scythica Sect. 2. §. 5.

(*b*) De Mor. Germ.

(*c*) De Reb. Get. cap. 2.

populos, qui Germanicam hodiernam linguam condiderunt: *Mannumque* habent Auctorem. Hos ex *Lydorum* genere fuisse suspicor, eorum nempe, quos Herodotus Lib. 1. *Meon* antea vocatos esse tradit. Nam & Veterum Germanorum Auctor ab eodem Tacito *Mannus* fuisse dicitur. De Mor. Germ. His *Phryges* commixti Mysos condiderunt; Mysi enim sermone Lydio, Phrygioque permixto utebantur, ut tradit Strabo Lib. 12. pag. 383. Cæterum libertas est, eos etiam ex Ægypto advenisse suspicari cum Bochartio, & aliis, qui *Tuisconis*, & *Manni* nomina ab Ægyptiis *Thoth* & *Menes* derivare contendunt. Geogr. Sacr. cap. 23. pag. 462. Nam & Herodotus Lib. 1. & 2. *Cares* Lydorum germanos Ægyptiorum hospites facit. Et Justinus Lib. 1. *Scythas* antiquissimis temporibus in Ægyptum excurrisse memorat.

Populi autem illi, qui proprie *Germani* dicti sunt, a Mysis diversi fuisse videntur. Tacitus enim hoc nomen Gallis recens additum scribit propter Tungrorum adventum, qui prius Germani vocabantur. "Cæterum Germaniæ vo„ cabulum [7] recens & nuper additum: quoniam „ qui primum Rhenum transgressi Gallos ex„ pullerint, [8] nunc Tungri, nunc Germani „ vocati sint; ita nationis nomen, non gentis „ coaluisse paullatim, ut omnes primum a vi„ ctore ob metum, mox a se ipsis invento no„ mine Germani vocarentur." In quem locum Lipsius n. 7. "Quod ait nuper, non her„ cules ita nuper: quippe cum ab ævo Julii „ Cæsaris, quo constat Germanos Galliam ir„ rupisse. Et n. 8. Valde amplector Bamber„ gensem Scripturam, quam & Pichena reppe-

 „ rit

„ rit in veteri editione Bononiensi: *ac nunc Tun-*
„ *gri*, tunc *Germani*. " Porro Paullus Diaconus, sive Miscellæ Auctor, *Tungros*, & *Turcilingos*, eandem fuisse gentem testatur; inquit enim Lib. 15. " Præterea Heruli, *Turcilingi*, sive
„ *Tungri* (Murat. Rugi) cum propriis Regulis,
„ aliæque &c. " Ubi Muratorius legit *Turci Lingi*, quasi gentem ex Turcis & Lingis coortam; vel *Turci* illi, qui proprie *Lingi* vocabantur. De Turcorum origine infra dicemus. Interea *Lingos* seu Lingones esse Venedos seu Sclavos Poloniæ, suadet Thomas Archid. Spalat. Hist. Salon. cap. 7. " Venerunt, inquit de
„ partibus *Poloniæ*, qui *Lingones* appellantur,
„ cum Totila septem, vel octo tribus Nobi-
„ lium. Hi videntes terram Croatiæ aptam
„ sibi fore ad habitandum, petierunt, & obti-
„ nuerunt eam a Duce suo. " Helimoldus vero cap. 2. Chron. Sclavor. (*a*) *Linguones* Sclavos ultra Vilzos Rugianis, seu Rugis proximos in Germania collocat. Hungari quoque hodierni Polonos etiamnum *Lengel* appellant apud Cromerum, qui & a *Lecho* sic dictos suspicatur. De Rub. Pol. Lib. 1. cap. 16. ubi ait: " Nec multum ab hac diversa esse vide-
„ tur ratio nominis Hungarici, qui Polonos
„ *Lengel* quasi *Lechel*, ut videtur, hoc est
„ a *Lecho* conditos appellant. Quæ si vera sunt, & antiquior, quam vulgo creditur, est hujus conditoris epocha; & Germanorum, seu Tungrorum nomen ad Sclavos Polonos, seu Venedos Sarmatas videtur pertinere.

Sed

(*a*) Eginhardus ad an. 808. *Hilinones* vocat; forsan *Hillevione*s Plinii.

Sed quamvis Gothi, seu Theutones, & Getæ eadem gens cum Venedis, seu Sclavis olim extiterit; tamen Getas illos Ovidii, de quibus Kohlius, a Gothis *Jornandis* toto cœlo diversos fuisse, credibile est. Illi enim veteres Getæ sagittandi erant peritissimi:

„ Littus Euxinum, si quis mihi diceret,
„ ibis,
„ Et metuas arcu ne feriare Getæ; (*a*)

Gothi vero contra, Belisario apud Procopium teste. (*b*) Interrogatus enim, quibusnam argumentis ex ea die, qua hostes fugasset, in spem bonam venisset, omnino se Gothos debellaturum, respondit: " In eo differre exer„ citus ipsos quam maxime, quia Romani „ omnes fere, & Hunni his socii ex equis „ arcus insinuare, sagittasque in hostes immit„ tere quam optime norint; *Gothorum vero ne„ mini unquam id studii, aut curæ fuisset*: Sed „ equites satis constare telis dumtaxat, & gla„ diis uti consuevisse." Idem confirmat Jornandes; inquit enim: " Nam ibi admirandum „ reor, fuisse spectaculum, ubi cernere erat „ cunctis pugnantem *Gothum ense furentem*, „ Gepidam in vulnere suorum cuncta tela fran„ gentem, Svevum pede, Hunnum sagitta „ præsumere, Alanum gravi, Herulum levi „ armatura aciem instruere." (*c*) Quin Getas ipsos Ovidii, Sarmaticæ potius & Hunnicæ, quam Germanicæ consuetudinis extitisse judico: quidquid ibidem in contrarium sentiat Ko-

(*a*) Apud Kohl. pag. 83.
(*b*) De Bell. Goth. Lib. 1. cap. 22. pag. 379.
(*c*) De Reb. Get. cap. 16.

Kohlius. Hanc enim inter Sarmaticas, & Germanicas gentes diversitatem ponit Tacitus. " Quod Germani, & *Domos figant*, & scu-„ ta gestant, & pedum usu, ac pernicita-„ te gaudent, quæ omnia diversa Sarmatis „ sunt, in Plaustro, *Equoque* viventibus." (*a*) Sarmatas autem, Getasque *in Equis* vixisse ex eodem Ovidio colligimus:

„ Sauromaticæ major, Geticæque frequen-
„ tia gentis
„ Per medias *in equis* itque, reditque
„ vias. (*b*)

Hinc Gothos inter Getas advenas gentes fuisse recte conjecisse videtur Cl. Germanicarum rerum Scriptor Mascovius, ex vetusta Grutteriana Inscriptione: (*c*) idque in causa fuisse suspicor, ut Jornandes, aliique Scriptores Getas Ovidiani ævi cum Gothis, ejusdem quidem originis, sed consuetudinis diversæ populis, confunderent.

At Sclavi, sive Venedi Sarmatiæ, cum pars eorum Gothis esset contermina, pars vero Hunnorum, seu Turcarum essent socii, alii Gothicos pugnandi, vivendique servabant ritus, alii contra Hunnorum mores sequebantur, ut videre est apud Leonem Augustum. Inquit enim: „ Sclavonica natio simili vitæ cultu, & mori-„ bus ac *Galli* utebantur. *Libertatis amans*, sub-„ jici, aut Imperio parere noluit, quando trans „ Da-

(*a*) De Mor. Germ.
(*b*) Apud Kohl. p. 66.
(*c*) Lib. 5. §. 6. n. 2.

„ Danubium sua in regione habitavit" (*a*). *Gothi* enim, sive *Venedi* Germaniæ, *Galli* etiam appellabantur, ut apud Salustium: „Per „ idem tempus adversus *Gallos* a Ducibus no- „ stris Q. Cæpione, & M. Manlio male pu- „ gnatum est" (*b*). Hos autem *Cimbros*, & *Theutones* sinus *Venedici* in *Germania* populos fuisse certum est. Venedos insuper maxima ex parte olim Gallias coluisse, eosdemque porro in Adriaticum colonias deduxisse testatur Strabo: „Hos ego (inquit) Venetos opinor, a qui- „ bus Veneti sinum colentes Adriaticum in Co- „ loniam deducti sunt". (*c*) Hi Veneti *Aremoricam* Galliæ Provinciam tenebant ad mare positam: quod sane nomen ex Sclavonica lingua interpretatum *maritimam* sonat *regionem*. *Varh* enim Sclavis est *supra*, ut mare ipsi *More* appellant. Quare in fine Itinerarii Antonini editionis Bertianæ legitur: „*Aremorici* Ante-ma- „ re. *Are* Ante: *More* dicunt mare, & ideo „ *Morini* marini". Sed & vicinis *Normannis* posterioribus temporibus Sclavonicam linguam in usu fuisse, patet ex verbis Rollonis *Normannorum* Ducis in Chron. a Pipino usque ad Ludovicum VII. apud Du-Chesnieum Hist. Franc. Tom. III. p. 359. „Hic Carolus (stul- „ tus) dedit Normanniam Rolloni cum filia „ sua Gisla. Hic non est dignatus pedum Ca- „ roli osculari, nisi ad os suum levaret. Cum- „ que sui Comites illum admonerent, ut pe- „ dem Regis in acceptione tanti muneris oscu- „ laretur, lingua Anglica respondit: *Ne se*

„ *Bi-*

(*a*) In Tactica.

(*b*) De Bello Jugurt. (*c*) Geogr. Lib. 4.

„ *Bigot*, quod interpretabatur, *non per Deum*." Ubi *ne se Bigot* verba sunt Sclavonica, quæ Dalmata *ne za Boga* pronunciaret, ideſt *non per Deum*. Hinc patet etiam Sclavonicæ linguæ cum *Anglica*, ſeu Brittanica, convenientia, de qua Doctiſs. Anglus *Eduardus Bernhardus* in Libro, quem V. E. *Loeſcherius* in *Littetatore Celta* pag. 29. paſſim citat, Kohlio teſte Introd. cap. 1. §. 2. in Not. Accedit, Britannos veteres Gallica fuiſſe origine, ut notat Conradus Gesnerus in Mithridate; eorumque linguam Saxones corrupiſſe. Inquit enim: " Bri-
„ tannica lingua vetus ea eſt, quæ *Vallica* ho-
„ die apud Anglos vocatur, in tota, ut conji-
„ cimus Inſula uſitata, antequam Saxones ea
„ devicta, linguam quoque ſuam intuliſſent,
„ quæ in maxima parte nunc obtinet, Britan-
„ nica veteri in regionem non magnam con-
„ tracta. *Vallos* (vulgo *Walhen*) Germani vo-
„ cant, quaſi *Gallos* peregrino & incognito
„ eis ſermones loquentes homines, ut Græci,
„ ac Latini *barbaros*: hinc & Anglo-Saxoni-
„ bus etiam *Walliam* regionem, & ejus inco-
„ las *Wallos* appellatos puto. Eandem eſſe
„ puto Britonum in Gallia, quos *Tonantes* co-
„ gnominant, a pronunciationis abſurditate,
„ quam ſcilicet Britanni, *Armorica* parte Gal-
„ liæ occupata, cum Saxonum irruptioni ceſ-
„ ſiſſent, ſecum invexerunt." Ubi notandum eſt, *Wallos* eos proprie Gallorum fuiſſe, qui *Eneti* αἰνετοὶ, ideſt *laudabiles* Græca interpretatione vocabantur. *Huala* enim Sclavis laudem ſignificat. Sic *Hualimimirus* nomen proprium *Laus-Populi* Sclavonice interpretatur. Celtas quoque a *celebritate* denominatos fuiſ-

ſe docet Strabo lib. 4. pag. 205. qui poſtquam de Gallis, qui Narbonenſem provinciam incolebant, egiſſet, ſubjungit: „ Hæc di-
„ ximus de Gallis, qui Narbonenſem provin-
„ ciam incolunt, qui quondam Celtæ appel-
„ labantur. Et arbitror ab his eſſe a Græcis no-
„ men Celtarum univerſis Gallis inditum διὰ
„ τὴν ἐπιφάνειαν ab gentis *claritatem*: vel Maſ-
„ ſilienſibus ob vicinitatem ad id momenti ali-
„ quid conferentibus". Sclavi igitur ut *Veneti*, & *Antes*, ita etiam *Celtæ* Græca proprii nominis interpretatione vocabantur. (*a*) Denique Senones *Galliæ* populos Svevicæ, ideſt *Gothicæ* originis fuiſſe docet idem Strabo, ubi Svevorum nationem ampliſſimam *Senones* appellat. (*b*) Hinc Gallicam, & non Germanicam gentem *Gothinos* fuiſſe tradit vel ipſe Tacitus: " *Gothinos* Gallica, *Oſos* Pannonica lingua coar-
„ guit non eſſe Germanos." (*c*)

Contra vero de Sclavis Bulgaris idem Auguſtus Scriptor hæc tradit: " Solæ autem *Bulga-*
„ *rorum*, & *Turcarum* nationes ſimiliter: acies
„ ſuas in bello inſtruunt . . . . multum operæ
„ collocant in ſtudio ſagittarum ex equis ja-
„ ciendarum . . . Hi *Turcarum* mores hoc ſolo
„ a *Bulgarorum* diſtant, quod hi Chriſtiano-
„ rum amplexi fidem, Romanorum moribus aſ-
„ ſuefacti, morum aſperitatem, & agreſtem
„ vitam ſimul cum infidelitate abjiciunt." (*d*) Hinc duas veterum Getarum ſedes agnoſcit Jornan-

(*a*) Geogr. Lib. 4.
(*b*) Ibid. Lib. 7.
(*c*) De Mor. Germ.
(*d*) In Tactica.

nandes, alteram quarum in *Dacia*, *Thracia*, & *Moesia* collocat, alteram vero in *Scythia*, & *Sarmatia* fupra Mare *Ponticum*, & *Meotin.* (*a*) " Quorum manfionem primam effe in Scythiæ „ folo juxta paludem *Meotidem ;* fecundo in „ Moefia, Thracia, & Dacia, tertio fupra „ Mare Ponticum, *rurfus in Scythia* legimus ha- „ bitaffe. " Getæ igitur primi generis fuere Sclavi illi, qui *Daciam*, *Moefiam*, & *Thraciam* colentes, *Gothis*, feu *Sclavis Venedis* Germaniæ, quos *Svevos*, & *Gallos* infuper diximus fuiffe appellatos, perfimiles erant, atque contermini; inquit enim Strabo: (*b*) „ Svevorum na- „ tio, ut fuperius dixi, partim intra, partim „ extra Sylvam (fcil. Herciniam) habitant, „ Getarum contermina genti ". Hi autem Ge- „ tæ olim *Zarabi* vocabantur: ita Jornand. Pri- " mum *Zarabos Tereos*, deinde vocatos *Pileatos* " (*c*), a quo nomine poftea *Sorabi*, & *Serbi* dicti funt. *Zaraba* enim, vel *Zarapa* Sclavonica vox eft, & calceamenti ex filo facti genus deffignat. Hinc Conftantinus Porphyrogenitus " *Serbula* vulgo fervorum calceamenta, *Serbu-* „ *lianique* ita viliter, ac pauperum in modum „ calceati " (*d*).

Getæ vero alii funt Sclavi illi, quos idem Jornandes *Bulgaros*, & *Sarmatas* appellat: quofque in *Scythia* & *Sarmatia* fupra mare *Ponticum*, & *Meotin* collocat. Ac ficuti priores illi Getæ Gallis conterminis erant perfimiles, ita & ifti

(*a*) De Reb. Get. cap. 2.
(*b*) Geogr. Lib. 7.
(*c*) De Reb. Get. cap. 3.
(*d*) De Admin. Imp. cap. 2.

& isti alii Hunnicas servabant consuetudines. Quin Hunni ipsi, seu Turcæ Geticæ seu Thracicæ erant originis; hos enim vocatos esse *Massagetas* tradit Procopius: „ (*a*) Ægan Massa-„ geta erat, quos nunc Hunnos vocant." Hinc Herodotus lib. 5. Thracum gentem secundum Indos omnium maximam appellat. Linguam tamen & mores, propter longinquas per Orientem expeditiones mutaverant & ipsi, quemadmodum Sclavi illi alii, seu Gothi, quos Germanicas expeditiones suscepisse diximus. Tradit enim Herodotus, Scythas Asiæ ultimos a Meoticis Scythis duxisse originem: „ Super hos „ (scil. Iyrcas, seu ut alii legunt Turcas) „ qua vergit ad Auroram incolunt alii Scythæ, „ qui a Regiis Scythis deficientes ita in hunc „ locum pervenerunt". (*b*) Hos *Turcas* Orientales vocat Porphyrogenitus; inquit enim: „ „ Ad *Turcos* vero *Orientem* versus in Persidis „ partibus habitantes, quorum supra mentio-„ nem fecimus, negotiatores suos mittunt et-„ iamnum ii, qui Occidentem incolunt prædi-„ cti *Turci*, invisuntque illos, & responsa sæ-„ pe ab ipsis per hos accipiunt (*c*).

Ad hos etiam pertinent illa alia Porphirogeniti verba de Administr. Imp. Cap. 38. „ Tur-„ corum gens olim prope Chazariam habita-„ bat, in loco, cui cognomen *Lebedias*, Λεβεδία, a primo ipsorum Βοεβόδε, Boebodo: „ qui nomine Lebedias appellabatur; dignita-„ te vero quemadmodum reliqui ejus successo-„ res,

(*a*) De Bell. Vandal. Lib. 1. cap. 2.
(*b*) Lib. 4.
(*c*) De Administr. Imp. cap. 38.

„ res, Boebodus vocabatur". Ubi utandum est vocem Βοεβόδȣ *Boebodo* plane Sclavonicam esse. Sclavis enim *Voevoda Belli-Ducem* sonat, ut notat Bandurius. Quare Turcæ isti Sclavonica lingua utebantur, licet & aliam, scil. Hunnicam in usu haberent: quod & confirmare videtur idem Porphirogenitus, de Administr. Imp. Cap. 39. Ubi ait: „qui victi (*Chabari*, sive *Aba-*
„ *ri* ex Chazarorum gente) pars occisi sunt,
„ pars fugientes ad Turcos in Patzinacitarum
„ terram se contulerunt, ibique sedes posue-
„ runt; contractaque mutua amicitia, Chaba-
„ ri appellati sunt; unde & Chazarorum lin-
„ guam ipsos *Turcos* docuerunt, habentque et-
„ iam hodie eandem dialectum; aliaque item
„ *Turcorum lingua* utuntur". Minus igitur recte Turcica lingua Hungaricæ similis, & propinqua esse creditur, cum Turcica lingua vetus Sclavonica fuerit, Hungarica vero, & Turcica hodierna ad Chazarorum sermonem magis accedant.

Ex his conficitur, *Gothos*, & *Getas*, quamvis eadem gens *Venedica*, seu *Sclava* ab initio extiterit, tractu tamen temporis alios quidem eorum in *Germaniam*, & *Galliam* migrantes, Germanicos mores, & linguam didicisse, *Gothosque*, *Sveones*, seu *Svithones*, & *Gallos* condidisse: alios in *Orientem* profectos orientalibus moribus, & linguis proprios mores & linguam patriam commutantes, *Hunnos* vocatos esse & *Massagetas*. Alios denique tum in *Dacia*, & *Mœsia*, tum in *Scythia*, & *Sarmatia* sedibus patriis manentes, vetusta nomina, mores, & linguam, nisi quatenus vitii aliquid ex vicinis populis contraxerint, cæteris melius reti-

nuis-

nuisse: eosque modo *Scythas*, modo *Sarmatas* esse appellatos. Migrationem autem Getarum veterum ex *Ponticis*, *Meoticisque* regionibus primis patriis sedibus, in Septentrionem, & Galliam, atque ultima Europæ antiquissimis temporibus factam refert Plutarchus: (*a*) „*Galli* (*b*) Celtica Gens, quum *Patria* (*c*) alere prægravante multitudine omnes non valeret, „ ad novas quærendas sedes feruntur profecti. „ Multa millia *Juvenum* (*d*) *bellicosorum* erant, „ quos longe major sequebatur *Puerorum* (*e*) „ mulierumque caterva. Horum pars *Rhiphæis* „ (*f*) superatis montibus, Septentrionales oras „ invasisse dicuntur, atque ultima insedisse Europæ: pars inter Pyrenæum montem, & Alpes sedibus positis juxta Senones, & Celtones diu habitasse: post vino, quod tum primum ex Italia allatum fuit, ita fuisse potus „ nova voluptate captos, & insanisse omnes, „ ut illico versus Alpes contenderent, regionem-

(*a*) Apud Cluver. Germ. Ant. Lib. 1. cap. 2.

(*b*) *Galli*. Hos Gothicam, & Venedicam gentem fuisse, dictum est supra.

(*c*) Scythia videlicet circa *Pontum*, & *Meotin* posita.

(*d*) *Juvenum bellicosorum*. Hos Sclavonica lingua *Geiichi*, vel *Dieiichi* dixeris.

(*e*) *Puerorum*. Hi Sclavonice *Getza*, & *Dietza* vocantur.

(*f*) *Rhiphæos Scythiæ* Montes intelligit Plutarchus. Nequicquam ergo torquetur Cluverius, ubi hæc de *Gallis* in Italiam posterioribus temporibus profectis, deque *Alpibus* Italiæ montibus intelligenda esse statuit.

„ que illam, quæ tam præſtantem fructum gi-
„ gueret quæſituri".

Porro Strabo „ Veteres (inquit) Græcorum „ Scriptores univerſas Septentrionales gentes „ *Scytharum* & *Celto-Scytharum* adpellatione ad- „ fecerunt, qui vero ante hos adhuc eas divi- „ ſerunt, ſupra Euxinum Iſtrum & Adriaticum „ mare colentes, *Hyperboreos* dixere *Sarmatas*, „ & *Arimaſpos*: trans vero mare Caſpium *Sacas*, „ & *Maſſagetas*". Lib. 11. Geograf. Ad quem locum ita Cluverius Germ. Ant. Lib. 1. Cap. 2. „ Ad Illyrios maxime ſpectant verba Strabo- „ nis, ubi *τοὺς ὑπὲρ τῆ Ἀδρίου κατοικοῦντες* ſub „ *Hyperboreorum* nomine veniſſe, antiquiſſimi „ mortalium teſtantur". Verum enimvero Homerus traditiones omnium vetuſtiſſimas ſectatus de Scythis hæc habet:

„ Νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρηκῶν Χαθορώμενος
„ αἶαν,
„ Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν Ἱππη-
„ μολγῶν
„ Γαλακτοφάγων, ἀβίωντε &c.

Ideſt:

„ Seorſim ad equeſtrium *Thracum* deſpi-
„ ciens terram
„ *Myſorum* cominus pugnantium, & *Il-*
„ *luſtrium* hippomolgorum,
„ Lacte viventium, longævorumque.

Hi autem Homeri verſus apud Auctores varie interpretantur: Strabo Ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν, *Claros equarum mulſores* intelligit. Geogr. Lib. 7. Ve-

7. Vetus vero Homeri Interpres Scytharum gentes aliquas *Agavos* ideſt *Claros*, & *Illuſtres* appellatos eſſe ſuſpicatur. Inquit enim: Ἀγαυῶν. Λαμπρῶν, καὶ ἐνδόξων, ἢ ὄνομα ἔθνους οὕτω καλουμένων Ἀγαυῶν. „Agavorum. *Illuſtrium* (ſcili„cet) & *Glorioſorum*, vel nomen gentis ita „appellatæ (*a*) *Agavorum*." Quæ ſi vera ſunt, hæc duo ex illo Homeri loco colligi poſſunt: Alterum quidem, quod Poeta Scythas univerſos in *Thraces*, *Myſos*, & *Agavos* diſtinxerit; Alterum vero, quod horum primi fuerint *Equarum Mulſores*, Bulgarorum, & Hunnorum inſtar, quos equeſtres fuiſſe, Thraceſque in Orientem vagatos, notatum eſt: Secundi vero fuerint *Galactophagi*, ideſt Getæ illi, quos in Germaniam, & Galliam, a *lacte* Hieronymo in Com. Epiſt. Paul. ad Galatas appellatam, profectos fuiſſe ex Plutarcho didicimus: & qui, cum Lydis ſe conjunxiſſent, *Myſi* vocati ſunt & *cominus pugnantes*, quales *Gothorum* populos fuiſſe dictum eſt. Ultimi denique fuerint *Getæ*, ſeu *Sclavi* illi, quos Plutarchus, *Rhiphæis* ſuperatis montibus Septentrionales oras invaſiſſe dicit, *Finni* ſcilicet, & *Venedi* ſuperiora Baltici maris, atque ultima Septentrionis littora colentes: & qui ex illis in *Thracia*, *Dacia*, & *Scythia* patriis ſedibus remanſere. Quare & hos Poeta a proprio *Sclavorum* nomine, *Agavos*, ideſt *Illuſtres*, & *Glorioſos* videtur appellaſſe. Dicit etiam *longævos*, quales utique *Hyperboreorum* populos extitiſſe ex Plinio cognoſcimus; inquit enim Plinius Lib. 4. Cap. 12. „Pone eos

 „mon-

(*a*) Sic *Agaves* Cadmi filiæ nomen proprium *Illuſtrem* & *Glorioſam* ſignificat.

„ montes, ultraque Aquilonem, gens felix (si „ credimus) quos *Hyperboreos* appellavere *annoso* degit *ævo*, fabulosis *celebrata* miraculis.

Patet igitur excusandum fuisse Thomam Archid. Spalatensem, qui Gothos cum Sclavonica gente confundit. Nam ita de eo scribit Lucius (*a*): „Hic Auctor, *Sclavos Gothos* fuisse pu„ tat; id autem a Diocleate sumpsisse videtur, „ eosdemque Gothos præsumens Christianos, „ sed Arianos fuisse; verum tollerabilis esset „ error, *Gothos Sclavos* fuisse existimare". Quibus Cl. Assemanus suam adjungit sententiam; inquit enim: „Nam id etiam ante Thomam „ dixerat Theophilactus Simocatta, & Pho„ tius, non quod una eademque gens essent „ *Gothi* & *Sclavi*, sed quia *Gothi* e *Sclavonia* in „ Romanum Imperium irruperant. At in Tho„ ma quod argui debet, est hoc: nimirum, „ quod affirmat a *Gothis* Dalmatiæ Urbes fuis„ se eversas" (*b*). Verum Dalmatici Scriptores cum Photio, & Simocatta non ideo *Gothos Sclavos* esse dixere, quod ex *Sclavorum* terris venerint, sed quod utique *Gothi Sclavonicæ* originis, & domicilio tantum *Germani* essent populi; *Sclavisque Bulgaris* conjuncti Dalmatiam possederint. Ac primum quidem hactenus jam demonstratum est; alterum vero ex ipsa Diocleatis constabit historia.

Incipit enim narrationem suam Diocletanus Presbyter a *Sfiolado*, vel *Senulado* Totilæ, Ostroili, & Brusii patre, ejusque ætatem cum Im-

(*a*) Apud Assem. Tom. I. part. 2. cap. 7. pag. 308.

(*b*) Ibid.

Imperio Anastasii, & Gelasii Pontificatu componit. Concedi igitur mihi postulo, *Sfioladunt* hunc, esse *Feletheum*, vel *Fevam* illum *Rugorum*, seu *Sclavorum* Germaniæ Regem, qui an. Ch. 482. idest paulo ante Anastasii, & Gelasii auspicia ab Odoacre oppressus, captusque est; & plana fient omnia. De *Feletheo* enim tradit Paulus Diaconus eum Transdanubiana loca supra *Noricum*, idest eam quæ postea *Moravia* dicta est, regionem tenuisse. (*a*) „ His „ temporibus inter Odoachar, qui in Italia per „ aliquot annos jam regnabat, & *Feletheum*, „ qui & *Feva* dictus est, *Rugorum* Regem, ma„ gnarum inimicitiarum fomes evasit. Qui Fe„ letheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam „ incolebat, quam a Norici finibus idem Da„ nubius separat". Rugis propinqui erant Sclavi alii, seu Sarmatæ illi, quorum auxiliarii adversus Gothos Dalmatiæ venerunt *Buga*, & *Babai* (Sclavonica nomina) Reges Sarmatiæ ex Trans Danubianis regionibus evocati. Inquit enim Iornandes: „ Sauromatæ vero, quos Sar-

 „ ma-

(*a*) Apud Assem. Kalend. Tom. I. cap. 3. pag. 245. Itaque *Svioladus*, quasi *Svevladus*, apud Sclavos, *omnia-regens*, interpretatur. Idem Longobardis sonabat *Alboin* apud Murat. Script. Ital. Tom. I. pag. 373. Videtur ergo ex *Svevladi* nomine propter soni affinitatem *Felethei* & Fevæ nomen prodiisse. Hoc enim varie & corrupte admodum prolatum fuisse monet Cl. Assem. loco citato. In antiquissimo papyraceo monumento Revennatensi Justiniani Imperatoris An. *Vigesimo septimo* conscripto, & a Cl. Zanettio nuper edito *Vir sublimis Feletinum jugalis Runilonis sublimis fœminæ* nominatur.

„ matas diximus, & Cemandri, & quidam ex „ Hunnis in parte Illyrici ad Castrum *Martena* (*a*) sedes sibi datas coluere". Et mox: " Quorum exitium Svevorum Reges Hunnimundus, & Alaricus veriti, in Gothos arma moverunt, freti auxilio Sarmatarum, qui „ cum *Buga*, & *Babai* Regibus suis, auxiliariis „ eorum, devenissent, ipsasque Scyrrorum reliquias, quasi ad ultionem suam acrius pugnaturas accersentes cum *Edica*, & *Ulpho* eorum primatibus: habuerunt simul secum, „ tam Gepidas, quam ex gente *Rugorum* non „ parva solatia" (*b*). Sclavi autem isti a Jornande *Sarmatæ*, ab Auctore vero Miscellæ *Bulgari* vocantur (*c*). „ *Busam* quoque (inquit is „ postremus) *Bulgarorum* Regem magna simul „ cum suis agminibus cæde prostravit". Ex his igitur locis venientes in Pannoniam Sclavi, illos *Istriæ*, & Dalmatiæ *Regulos*, seu Principes videntur oppressisse, de quibus ejusdem Diocleatis Historia. „ Totila vero, & Ostroilus, „ ut sibi magnum nomen facerent, consilio, „ & voluntate primogeniti fratris congregantes „ exercitum magnum valde, & fortem exierunt „ de terra sua, & venientes debellaverunt *Pannoniam* provinciam, & bellando obtinuerunt „ eam: post hæc cum valida multitudine pervenerunt in *Templana*. Tum Rex *Dalma*- „ *tia*-

(*a*) De Reb. Get. cap. 17. *Martenam* Baudrandus in *Stiria*, seu Norico ponit, quæ sane regio propinqua erat *Rugorum* regioni.

(*b*) Ibid. cap. 18.

(*c*) Apud Murat. Tom. I. Rer. Ital. Part. 1. p. 100.

„ *tiarum*, qui in Civitate magna, & admira-
„ bili *Salona* manebat, misit nuncios, & lit-
„ teras ad Regem *Istriæ* Provinciæ, ut congre-
„ garet exercitum, quatenus simul exirent eis
„ obviam, & defenderent se" (*a*). Reges autem isti *Istriæ*, & *Dalmatiæ*, ex *Gothica* stirpe, dicta loca tunc obtinente, videntur fuisse. *Gothi* enim *Salonis* potiebantur, antequam *Mundus* in Dalmatiam missus fuisset, *nono* videlicet Imperii Justiniani anno, ut tradit Procopius. (*b*) „ Imperator ubi jam didicisset, que-
„ madmodum cum Amalasunta actum fuisset,
„ confestim se ad bellum parabat annos *nove-*
„ *nos* potitus Imperio. Mundum itaque Illyrio-
„ rum Præfectum in Dalmatiam misit, *Gothis*
„ tunc subditam, jussitque *Salonas* urbem ut
„ pertentaret, & in potestatem redigeret". Sequitur igitur, ut Totila, & Ostroilus Rugorum, Sarmatarumque principes, antequam Mundus in Dalmatiam adversus Gothos movisset, cum iisdem Gothis Dalmatiam, & Istriam obtinentibus conflixerint: paceque inter se firmata, Totila in Italiam migrando, Gothis Italiæ, Ostroilus in Dalmatia manendo Gothis Dalmatiæ adversus Romanos se adjunxerint. Deinde Totila Italiæ Rege creato, ad Sclavos, & Gothos Dalmatiæ Sclavi alii Transf-Danubiani, superatis Illyricis montibus, accesserunt: unde postea, Totila Auctore, tripartito exercitu Europam malis insanabilibus affecerunt. „ *Sclavini*
„ vero (inquit Procopius) qui Imperii ante-
„ hac terras invaserant, & gentis ejus alii sub-

C 4 „ se-

(*a*) Cap. 2.
(*b*) De Bell. Goth. Lib. I. cap. 4.

„ secuti, Histro transmisso, cum suis statim se „ jungunt, qui eam regionem paulo ante & licentius incursarant; nonnullis existimantibus, „ Totilam ipsum, barbaros hos pecunia non „ pauca corruptos, atque adeo persuasos, idcirco in eam Romanorum provinciam immisisse, ut Imperio adversus Gothos nulla de „ cætero foret ex æquo bellum administrandi „ facultas, cum in expugnandis barbaris vires „ intenderet suas. Sive igitur ut Totilæ gratificaturi, sive de se nec vocati quidem *Sclavini* se eo contulerint, nil habeo, quod pro „ certo affirmare sat queam. Quum in tres itaque partes *Slavini* partiti copias essent, diversim vagati, Europam malis insanabilibus „ affecere" (*a*). Ex quibus patet *Presbyterum Diocleatem* ex veterum traditione Sclavorum historiam *Gothicam* appellasse, tum quod de Sclavis *Rugis* agebat, qui antiquitus in Germania degentes ad *Gothos* pertinebant, tum quod *Sarmatæ*, seu Bulgari *Rugis* consanguineis conjuncti, & in *Dalmatia*, & in *Italia* societatem cum *Gothis* inierint.

Itaque Sclavonicæ illæ litteræ, quæ Hieronymo tribuuntur, forte non immerito *Gothicæ* ab Archidiacono appellantur. Quin si illas accurate consideremus, *Gothicis*, seu *Runicis* illis, quarum frequens vestigium in Septentrione (*b*) atque adeo in *Italia* ipsa occurrit, ut docti etiam viri eas interdum cum *Hetruscis* antiquis con-

(*a*) De Bell. Goth. Lib. 3.

(*b*) Olaus Verm. in Fast. Dan Lib. 3. cap. 2. Item Sched. De Diis Germ. & alii &c.

confunderent (*a*), magna ex parte ſimiles eſſe comperiuntur. Hæ tamen *Gothorum* litteræ, ſi pro *Geticis* illis *Dicenei*, de quibus Jornandes (*b*) accipiantur, *Ulphilianis* ſunt valde antiquiores; ſiquidem *Runicas* litteras eaſdem cum *Ulphilianis* eſſe non conſtat (*c*).

Tabulam igitur ornavimus tribus litterarum columnis diſtinctam, quarum prior exhibet litteras Alphabeti *Glagolitici* ordine proprio diſpoſitas, formis earum tum ex aliis, cum ex *Friſchii* Tabula deſſumptis. *Secunda* exhibet litteras *Runicas* prioribus e regione reſpondentes, quarum paucas ex Schedio, & aliis; reliquas omnes ex (*d*) Tractatu Diplomatico hauſimus, Gallica Lingua conſcripto, cui Titulus: „ Nouveau Traitè de Diplomatique, où l'on examine les Fondemens de cet' Art: on etablit des Regles ſur le diſcernement des Titres, & l'on expoſe Hiſtoriquement les Caracteres des Bulles Pontificales & des Diplomes donnés en chaque siécle &c. Par deux Religieux Benédictins de la Congregation de S. Maur à Paris MDCCL." *Tertia* denique columna exhibet Litteras *Græcas* prædictis reſpondentes. His ita diſpoſitis, veterum *Runicarum* littera-rum

(*a*) Vide Cl. Zanettii diſſert. Italicam, cui Titulus: *Nuova Trasfigurazione delle Lettere Etruſche*: qui & in hac noſtra, quam ei inſpiciendam nuper tradidimus, ad antiquitates veterum Italiæ populorum illuſtrandas, novas ſegetes (ut ſperamus) facile reperiet.

(*b*) De Reb. Get. cap. 4.

(*c*) Maſcov. Hiſtor. Germ. lib. 7. in fin.

(*d*) Tom. I. Tab. 14. pag. 712.

rum cum Glagoliticis affinitas unicuique eſt in oculis.

Prima enim *Gothorum*, ſeu *Runorum* littera A parum, aut nihil differt a primo elemento Sclavonico *Glagolitici* Alphabeti mſſ. *Az*. Utraque enim nota duas lineas in *crucis* formam compoſitas repræſentat, tantumque differunt, quod hæc linea tranſverſa, comiſque longioribus infra terminata; illa vero nec tranſverſa, nec terminata, ſed inclinata linea ſecetur.

Item *Glagoliticum Buk* ſimile eſt *Runico* F. Macedonum veterum ritu, qui Φ in B mutare ſolebant. Hinc *Phryges* Thraciæ populi antiquiſſimi, *Getarumque* noſtrorum Auctores, aut certe affines, & conſanguinei, teſte Herodoto: " tamdiu vocati ſunt *Bryges*, quamdiu Eu- „ ropæi fuerunt Macedonum accolæ: tranſgreſſi- „ que in Aſiam una cum loco nomen immu- „ tavere in *Phryges*" (*a*). Et extant etiamnum rei vetuſtæ apud Sclavos veſtigia in voce *Brat*, quæ cum latino nomini, *Frater*, reſpondeat; tamen per *B* potius, quam per F proferri ſolet. Habet tamen & litteram Φ Glagoliticum Alphabetum Græca forma depictum; ſed hoc ad ſoni differentiam exprimendam poſterius additum, ut infra patebit.

Porro *Glagoliticum Vid* poſitione tantum differt a Runico *B* Græcorum ritu, qui V. conſonantem per B efferre ſolent.

Item *Glagoliticum Glagole*, unde Alphabeto nomen, idem pene eſt ac *Runicum* G, quod Go-

---

(*a*) Lib. 7.

ALPHABETUM

Glagoliticum.	Runicum.	Græcum.	
[illegible] & ex Frisch. [illegible]	ᚼ X [illegible]	A	1
[illegible] & ex Frisch. [illegible]	ᚠ	Φ	2
[illegible]	B	B	3
ℽ V	Y	Γ	4
[illegible]	ᛞ b	Δ	5
∋ 3	ε	E	6
[illegible]	✱ ✱	X	
[illegible] & ex Orbin. [illegible]	Ψ & ex Sched. [illegible]	Z	7
[illegible]	h	S	
X 8	X H	H	8
[illegible]	⁞ II H	I	
[illegible] ex Frisch.			
[illegible]	ᚷ	K	9
[illegible]	Λ	Λ	10
M	M	M	11
P P [illegible]	[illegible]	N	12
Ȝ ex Frisch & ex Orbin. 8	[illegible] ex Sched.	O	13
[illegible]	Π B	Π	14
b	R ex Sched.	P	15
[illegible] & ex Orbin. [illegible]	ᛋ	S	16
[illegible]	↑	T	17
V	U	Yv	18

Gothi *Halg*, vel *Galg* Sclavonico fere litteræ nomine appellabant (*a*).

Rurſus *Glagoliticum Dobro* parvum abludit a *Runico* D. quod modo ſimplex, modo duplicatum, ut apud Sclavos, ita & apud *Runos*, *Gothoſque* pingebatur.

Jeſt quoque Glagoliticum, *Runicum* E repræſentat, in ſiniſtram partem converſum: quod argumento eſſe poteſt, *Sclavos* quoque veteres, ſi litteras eos habuiſſe dicamus, a dextera in ſiniſtram ſcribere conſueviſſe.

Sic *Glagoliticum Xivito*, *Zielo*, *Zemglie*, *Runicis* X, Z, & S. ſimillima ſunt. Sed Xivito *Thau* Hebræorum: *Zemglie* vero *Thita* Græcorum vetus imitatur.

Denique *Glagoliticum Ixe*, *I*, *Ie*, *Runicis* formis litteræ I. plane reſpondent: & ſic de reliquis.

Ac quamvis in multis eadem omnino ſimilitudo non deprehendatur, formæque, & moduli varient; nihilominus non immerito ſuſpicari poſſumus *Gothicum*, ſeu *Runicum* Alphabetum eſſe *Glagolitici* Alphabeti fontem, quemadmodum & *Græcum* Cyrillici. Quid enim mirum, ſi in mſſ. litterarum fiat mutatio intra longum tempus, mixtaſque, & barbaras nationes? „Ne-„ que enim credendum eſt (verba ſunt Cl. „ Bianconii) gentem tam antiquam, quæ in „ tanto imperio tamdiu fuit, in quam tot po-„ puli migrarunt, unis, iiſdemque ſemper lit-„ teris, nihil admodum immutatis ſcripſiſ-

„ ſe

(*a*) Kederus in Diſſert. Superius citata.

„ ſe" (*a*)? Tamen quidquid ſit de hac re ſtatuendum, modo ad hiſtoriam *Glagolitici* Alphabeti inquirendam properemus. Ut autem id aſſequamur, notandum eſt.

Primo. Numerum Litterarum Alphabeto *Glagolitico* comprehenſarum non eſſe conſtantem. (*b*) In Alphabeto enim, quod Operi ſuo Maurus Orbinus inſeruit, 32. tantum elementa continentur; in illo vero, quod Romæ Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide prodiit, 40.

Secundo. Ordinem litterarum, quo Alphabetum *Glagoliticum* procedit, non eſſe ubique certum: nam in citato Alphabeto ab Orbino edito poſt litteram reſpondentem litteræ latinæ I. ſequitur littera alia reſpondens litteræ G; in Friſchiano vero littera *Ie*: quarum altera in Romano Alphabeto deeſt; altera circa finem Alphabeti rejecta reperitur.

Tertio. Seriem litterarum, & numerum Alphabeti *Glagolitici*, a ſerie & numero *Cyrilliani* aliquatenus recedere. In Alphabeto enim *Glagolitico* Orbini poſt memoratam litteram *I*. ſequitur, ut dictum eſt, littera *G*; in *Cyrilliano* non item. Rurſus in *Cyrilliano* poſt *Hir* ſequitur littera *Pſi*, & *Omega*, quæ in *Glagolitico* non reperiuntur; quin & reliquæ, quæ ſequuntur, perturbato ordine conſiſtunt. Denique litteræ in *Glagolitico* Alphabeto ſunt 32. in *Cyrillico* 31. In Romano vero utroque Alphabeto par litterarum Ordo, & numerus.

Quarto. Nomina litterarum utriuſque Alphabeti

(*a*) Diſſert. de Antiquis Litteris Hebræorum. pag. 68.

(*b*) Regno de' Sclavi pag. 46.

beti esse quidem similia, sed non eodem modo pronunciari apud Sclavorum nationes. Sclavi enim *Septentrionales* ita litteras pronunciant: " As, Boga, Vidil, Glagol, Dobro, Iest, „ Schivjete, Selo, Semla, Ische, I, Ie, Ka- „ ko, Ludi, Misliti, Nasch, On, Pokoj, „ Rtzi, Slovo, Twerto, Iik, Fert, Chier, „ Ot" (*a*). *Serblorum* vero Dialecto ita pronunciantur: „ As, Buk, Vjede, Glagoglie, „ Dobro, Ies, Scivjeti, Sielo, Semglie, Ise, „ I, Ie, Kako, Ludi, Misliti, Nas, On, „ Pokoj, Arzi, Slovo, Tverd, Uk, Fi, „ Hier, Psi, O, Od, Zi, Ciarv, Chierv, „ Scaj, Staj &c." (*b*). Denique *Dalmatæ* in docendo illas efferunt hoc modo: „ Az, Buk, „ Vid, Glagoglie, Dobro, Iest, Xivit-o, Zelo, „ Zemglie, Ixe, I, Kako, Gliudi, Misliti, „ Nas, On, Pokoj, Rzi, Slovo, Tverdo, „ Uk, Fert, Chier, Ot. His prænotatis, concludo.

Primo. Nomina litterarum Alphabeti utriusque a Dalmatis, & Serblis minus corrupte, quam ab aliis Sclavis pronunciari.

Hoc ut demonstremus, sciendum est Septentrionalium Sclavorum *Frischianam* Alphabeti pronunciationem id nobis non præstare, quod ex *Dalmatarum*, & *Serblorum* illud efferendi usu didicimus. *Dalmatica* enim, & *Serbliana* pronunciatione id affecuti sumus, ut litterarum nomina inanes non esse voces, casuque, ut fit, positas, sed de industria inventas, dispositasque a suo inventore, certo sciamus. Ita enim pronun-

(*a*) Vid. Frisch. pag. 15.
(*b*) Vid. Orbin. pag. 46.

nunciantur, ut prima XXI. Elementa decimo expuncto, orbes verborum, integrasque absolvant sententias; quod in *Frischiano* Alphabeto propter corrupta, & turbata elementorum nomina non ita facile potest contingere. *Decimi* autem elementi nomen expungendum esse putavimus, tum quia sententiam turbat, tum quia ejus figuram ab *undecimi* elementi figura parum differre cognovimus: unde & *noviter inventum* putamus; quod & melius apparet ex hac interpretatione:

I.	Az.	*Ego.*
II.	Buk.	*Deus.*
III.	Vid.	*Vitus.*
IV.	Glagoglie.	*Loquor.*
V.	Dobro.	*Bonum.*
VI.	Iest.	*Est.*
VII.	Xivit-o.	*Vivere-de.*
VIII.	Zelo.	*Rure.*
IX.	Zemglie.	*Terræ.*
X.	Ixe.	
XI.	I.	*Et.*
XII.	Kako.	*Sicut.*
XIII.	Gliudi.	*Viri.*
XIV.	Misliti.	*Cogitare.*
XV.	Naff.	*Nostra.*
XVI.	On.	*Illud.*
XVII.	Pokoj.	*Requies.*
XVIII.	Riz.	*Dic.*
XIX.	Slovo.	*Litteram.*
XX.	Tverdo.	*Fortiter.*
XXI.	Uk.	*V.*

Reliqua, quæ sequuntur litterarum nomina, ni-

nihil prorſus ſignificant, ſed ſunt monoſyllaba quædam, litterarum duplicium, & finalium, Siglorumque pronunciationem indicantia. Cum igitur aliæ litterarum Alphabeti Glagolitici pronunciationes id nobis præſtare non poſſint, ſequitur profecto *Dalmaticam* hanc, & *Serblianam* reliquis omnibus eſſe præferendam. *Glagolitici* autem Alphabeti, & non *Cyrillici* hanc litterarum nomenclaturam eſſe propriam, jam inde patet, quod illud *Chiurliza* a Cyrillo inventore; hoc vero *Buk-vitza* a *ſecundo* & *tertio* Alphabeti ejuſdem elemento, & *Glagoliticum* a *quarto* ſit appellatum.

Secundo. Vetuſta Alphabeti hujus Elementa ex Dalmatica, & Serbliana litterarum pronunciatione eſſe cognoſcenda, atque a noviter inventis diſtinguenda.

Cum enim litterarum hujus Alphabeti Auctor ea induſtria litteras compoſuerit, ut earum nomina ſibi invicem ſuccedentia morales quaſdam ſententias abſolvant, orbeſque verborum perfecte claudant; facile intelligitur, ea litterarum nomina, quæ in ſerie cæterarum redundant, aut otioſa ſunt, nihilque omnino ſignificant, inſerta, & *de novo inventa* fuiſſe.

Tertio. Vetuſtas hujus Alphabeti litteras Alphabetum exhibere, tum quoad litterarum ordinem, tum quoad earundem numerum, vetuſto Græcorum Alphabeto ſimillimum.

Et primo quidem quoad numerum vetuſti Græci Alphabeti elementorum, conſtat ex Plinio ea *decem & octo* modo fuiſſe. „ Ariſtoteles „ (inquit Plinius) X. & VIII. priſcas fuiſſe. Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ.

Σ. Τ. Υ. Φ. (*a*) Sed totidem quoque in vetusto Glagolitico Alphabeto ex Dalmatica, & Serbliana pronunciatione restituto, eas fuisse certum est. Dictum est enim superius XX. tantum elementorum nomina esse in Alphabeto Glagolitico, quæ naturali progressionis ordine, sententias absolvant. His si detrahas *octavum*, & *nonum* elementum, quæ tum potestate, tum figura ad *septimum* reduci possunt, facile concedemus, decem & octo, non amplius, priscas Sclavorum litteras, Græcarum instar fuisse.

Quod vero ad ordinem seu dispositionem litterarum pertinet, patet profecto eandem fere esse in Glagolitico vetusto, ac in prisco Græcorum Alphabeto elementorum seriem. Unicam tantum litteram alio loco positam in Glagolitico reperimus; litteram nempe Φ, quæ Græcis *ultima*; Sclavis vero *secunda* fuit: quæ tamen res, sua forte non caret ratione. Nam primum Alphabeti Glagolitici elementum *Az* (Ego) Ægyptiorum, & Samaritanorum *Tau*, sive *Crucis* signo simillimum est. Alterum vero, quod loco Φ ultima prisci Græcorum Alphabeti littera ponitur, nomine suo, *Buk*, *Deum*, significat. Nec abs re erit ipsum D. O. M. nomen Sclavonicum notare. Sclavi enim Deum *Buk*, & *Buh* vocant, voce ducta a verbo *Bit*, quod duplicem habet significationem, alteram nempe *occidendi*, vel *percutiendi*, alteram *existendi*. Quare, ut a prima significatione nomen *Boj*, *Bellum*, seu *pugna*, ita ex altera nomen *Bog*, seu quod idem est *Buk* & *Buh*, quod D.O.M. signi-

(*a*) Lib. 7. cap. 56. pag. 342.

ſignificat, videtur fluxiſſe. Etymon autem hujus vocis idem eſſe ac illud *Jehovah*, jam inde patet, quod Deus ipſe *ineffabile* nomen ſuum Moyſi per illa verba: „Ego ſum, qui ſum" interpretatus ſit (*a*); quæ plane in primis duobus Alphabeti noſtri Elementis continentur, ſiquidem *Az*, *Ego*, & *Buk qui ſum*, ſonat. Tradunt etiam Ægyptios præ foribus templi cujuſdam eorum regionis: *Ego ſum* ſcripſiſſe (*b*). Tritum eſt denique apud Eruditos, in Phœniciorum ſanctuariis *Thou*, & *Bohu* maximam venerationem obtinuiſſe (*c*); quæ etiam cum primis duabus Alphabeti Glogolitici litteris *Az* (Ego) quod per ſignum *Tau* pingitur, & *Buk* (Deus) videntur conſentire. Itaque ubi hoc Alphabetum a Græco vetuſto recedit, Ægyptiorum, Phœniciorumque vetuſtiorem Litterarum ordinem imitatur.

Quin & in reliquis, quæ ſequuntur, litteris, vetuſtiſſimas Hebræorum traditiones videtur æmulari. Deum enim O. M. *Viti* nomine ab actione *Videndi* appellat: ac forſan ideo, quod ille rerum univerſitatem a ſe creatam per ſex repetitas vices *viderit*, viſamque bonam probaverit, juxta illos verſus Geneſeos (*d*): *Vidit Deus quod eſſet bonum:* &: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Et illud Paul. ad Hebr. cap. 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Quare & Moſaicum ſtylum ſa-

D piunt

(*a*) Exod. cap. 3. verſ. 14.

(*b*) Calmet. Lex. Bibl. in voce *Jehovah*.

(*c*) Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 2. Apud Sched. pag. 158.

(*d*) Cap. 1.

piunt omnino istæ priores Glagolitici Alphabeti litteræ: *Ego*, *Deus*, *Vitus*, *Loquor*, *Bonum*, *Est &c.* quasi dicant: *Ego*, *qui sum* (Jehovah) *Videns loquor: bonum est &c:* Hinc idem *Jehovah*, quem Poetæ Jovem dixerunt propter ipsam eminentem actionem *videndi*, idest sciendi εὐρύοπα *latum habens oculum* ab Homero, & ἐπόψιος *inspector* a Callimacho, & παντόπτης *Omnia videns* a Sophocle appellatur. Hesiodus quoque Poetarum antiquissimus πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς *cuncta videns oculus Jovis* dixit (*a*). Hoc autem ineffabile nomen tractu temporis ad Reges quoque magnique nominis Principes (*b*) tanquam Dei Ministros, *Joves* dictos, poetico stylo translatum est primum; deinde vanis etiam superstitionibus & fabulosis commentis profanatum est. Apud Sclavos tamen vera D. O. M. idea tardius videtur fuisse corrupta. Inquit enim Procopius de Bell. Gott. lib. 3. „His præterea „ barbaris lege cautum est, & a suis majoribus „ proditum inter Deos aliquem unum, qui ful„ minis sit fabricator, rerum omnium Domi„ num ac solum esse ut credant, illique boves „ & hostias cæteras mactent ". Sed cultus ejus superstitionibus innumeris refertus fuit, ut infra docebimus. Nam apud Hebræos tantum debitam venerationem Dei nomen obtinebat, puramque religionem: quem & *videntem* κατ' ἐξοχὴν Sclavorum & Poetarum veterum instar credidere, ad distinctionem Idolorum Gentium, qui *oculos habent & non vident*. Tamen Hebræi quoque ipsi *Prophetas* suos verique Dei ministros, sine

(*a*) Natal. Com. Mith. lib. 2. cap. 1.
(*b*) Id. Ibid.

ſine ulla religionis jactura, *Videntes* appellare conſueverunt (*a*).

Eſt & alia exigua licet differentia inter vetuſtos Græcorum, & Sclavorum characteres explicanda. In Alphabeto enim *priſco* Græcorum ab Ariſtotele tradito deeſt littera *Ita*: in Sclavonico vero præfato *Jota* potius deeſt, quam *Ita*. *Jota* enim, figura Sclavis *Jer* dicta, inter monoſyllaba nihil ſignificantia circa finem Alphabeti Friſchiani ponitur. Sed ſciendum eſt apud Sclavos Serblos litteram Græcorum *Ita* non ſimplex eſſe elementum, ſed dipthongum potius ex *Jota* & *Epſylon* conflatum; apud Dalmatas vero *Ita* & *Jota* eodem ſono eſſe, ut *Vied*, & *Vid*.

Cæterum, ſi Glagoliticæ litteræ ad originem *Runicam* ſunt reducendæ, facile innoteſcit, eas vetuſtis Græcorum characteribus eſſe ſimillimas ex iis, quæ Cl. Freretius in Tractatu diplomatico Gallico ſuperius laudato notaſſe traditur; appellat enim *Runicas* litteras: „Aſſez ſembables au premier Alphabet Grec, par le *nombre*, par l'*ordre*, & par la *valeur*".

Quarto. *Auctorem Alphabeti Glagolitici Thracio ſeu Phrygio genere extitiſſe: aut certe Phrygiam linguam perfecte calluiſſe*.

Hoc ut demonſtremus, ſatis eſt vel ſecundam Alphabeti litteram inſpicere, quæ juxta ſuperius dicta figuram *Runici* F etiamnum magna ex parte retinet; poteſtatem vero litteræ *B* tantum conſervat: quod & apud *Phryges* gentem Thracicam obtinuiſſe ex Herodoto probavimus. Priſcos autem *Phryges* Sclavonicæ linguæ fuiſſe populos non exigui momenti indiciis probari poſ-

(*a*) Calmet. in Lex. V. Prophet.

ſe putamus. Veterum enim ſcripta percurrentes, dictiones quaſdam offendimus, in quibus veterum *Phrygum* linguam deguſtare, eamque cum modo notis linguis componere potuimus. Hi enim Βαγαῖον (*a*) Scythæ vero παπαῖοι (*b*) *Jovem* vocabant. Sed *Scythæ* veteres, & *Phryges* eadem gens cenſenda eſt. Nam quos Juſtinus *Scythas* (*c*), eoſdem Herodotus (*d*) *Phryges* appellat, atque inſuper tanti nominis eos fuiſſe prædicat, ut cum *Ægyptiis* de generis *antiquitate* contenderint. Panem quoque Βέκκον, & aquam Βέδυ *Phryges* appellabant. Olera denique Ζέλκια, Ignem Πῦρ, Canem Κύνα dicere ſolebant: necnon & multa alia apud Clementem Alexandrinum, alioſque (*e*).

Collatis ergo antiquiſſimis hiſce *Phrygum* veterum cum hodiernis Europearum linguarum vocabulis, nullam profecto linguarum viventium inveniemus, ſonum, ſignificationemque priſcarum *Phrygiarum* locutionum ita aſſecutam, vetuſtaſque & proprias earum formas ita cuſtodire, ut Illyricam, ſeu *Sclavonicam*, quam vocant, linguam. Sclavi enim pro veteri παπαίῳ habent *Babo*, *Pater*; & pro Βαγαίῳ *Bogh*, *Deus*. Vocem quoque *Begovaz*, Illyrii Sclavi interdum pro *Pane* uſurpant. Item apud omnes fere Sclavos *Aqua*, quam *Phryges* (*f*) Βέδυ ap-

(*a*) Herod. lib. 4.
(*b*) Vid. Samuel Boch. de Adv. Ænee in Ital.
(*c*) Lib. 2. cap. 1.
(*d*) Lib. 2.
(*e*) Vid. Bochart. Ibid.
(*f*) Sed apud Clem. Alex. Strom. lib. 5. cap. 243.

appellabant, *Voda*, dicitur; ut & *Zeglia* (*Phrygibus* olim Ζέλκια) *Olera* apud eosdem audit. Tandem *Purriti*, & *Parriti*, quæ τοῦ πυρὸς actio est, apud Sclavos idem est, ac ustulare. Et sicuti canem κύων Phryges, ita catellum Illyrici Sclavi *Schenne* propria lingua vocant: unde postea Græci vocem Σκύμνος sunt mutuati. Prædictæ igitur voces universæ tum ad Sclavonicum, tum ad *Phrygium* priscum, seu Scythium proprium pertinent sermonem, quod nemo peritus negaverit.

Accedit & ipsa Phrygii nominis notatio, quam patet ad Sclavonicam Linguam potius, quam ad alias pertinere. Respondet siquidem Sclavonico vocabulo *Vruchi*, quod calore ferventes, & æstuantes audire certum est. Solent namque Sclavi litteram F in V consonantem commutare, quæ eadem fere est, ac apud Græcos B. Hungari tamen hodierni, loco *Vruch* Forro pronunciant, quod item fervidum calore, æstuantemque significat. Itali vero frequentius utuntur littera B, dicuntque *Bruggiato*, & *Bruciato*, quæ quidem vox ab eodem quoque orta est themate.

Equidem hæc Phrygii nominis etymologia, a locis in quibus Phryges agebant, sumpta est, convenitque cum iis, quæ super hoc argumento apud Strabonem inveniuntur, & quæ postea

 Cl.

243. Neanthes Cyzicenus scribit; „ Sacerdotes Macedonum in precibus invocare Βέδυ *Bedy* ut sit „ eis propitius & filiis: quod quidem interpretantur *aerem*". Ego tamen, pro *aere*, Jovem intellexisse suspicor: quem Sclavi *Vid*, & *Viedi*, scil. *Videntem* in Alphabeto *Glagolitico* appellant.

Cl. Bochartius in eandem rem congessit antiquum nomen *Gomer*, quo in Sacris Scripturis Phrygia designatur, exponens; ubi: „Tam „ Phrygiæ (inquit), quam *Gomer* nomen, cum „ olim fuisset proprium regionis κατακεκαυμέ- „ νη. (exustæ) tamen universæ genti fuisse com- „ municatum, adeoque *Gomer* Hebræis idem „ esse, quod Græcis *Phrygiam*". Geogr. Sac. Lib. 3. cap. 8.

Sed quod nos ad veritatem melius etiam deducere possit, est nomen nobilis fluvii lacique in regione *Ascania* positi, quæ ad Phrygiam Asiaticam pertinebat, & quæ olim *Gomer* Hebræa lingua appellabatur. Vox enim *Ascania* ex Sclavonica lingua interpretata, idem omnino quod *Phrygia*, & *Gomer* significat. Apud Sclavos enim *Usgan*, & *Osgan* incensum exustumque sonat.

Ac sententiam quidem hanc nostram confirmat Livius, qui de Illyrici superioris regionibus, paludi Lychnidi (quod nomen Græce faces accensas significat) propinquis verba faciens urbis *Uscanæ* meminit; Inquit enim: „Lucius „ Cælius Legatus Romanus præerat Illyrico: „ qui moveri non ausus quum in iis locis Rex „ esset, post profectionem demum ejus conatus „ in Penestis *Uscanam* recipere, a præsidio quod „ illic Macedonicum erat, cum multis vulne- „ ribus repulsus Lychnidum copias reduxit". Lib. 43. Cap. 19. & 20. Certum est autem vicina *Uscanæ* loca olim a Phrygibus fuisse culta, quemadmodum & illa *Asiæ*, juxta quæ *Ascania* sita erat. Strab. Lib. 7. inquit: „Circa enim „ Dyrrachium & Apolloniam usque ad Cerau- „ nios montes, habitant Buliones, Taulantii, „ *Phrygi*". *Uscana* igitur & *Ascania* apud *Phry-*

ges

ges idem significabat, quod apud Hebræos *Gomer*, & quod apud Sclavos *Usgana*. Itaque evidens est hodiernæ *Sclavorum* linguæ cum antiquo *Phrygio* idiomate convenientia.

Græci autem cum Phrygum essent finitimi (Jones vero, & Eoles maxime, ad quos antiquissimis temporibus Cimmerios, seu Cimbros (*a*), qui *Phryges* erant, Gomeri certissima soboles (*b*) progressos esse memorat Strabo (*c*)), atque simul cum illis commercia exercerent, *Phygiarum* vocum plurimas in suam linguam invexerunt. Scribit enim Plato: „Vide itaque „ ut nomen hoc πυρ barbaricum sit. Neque „ enim facile est illud Græcæ linguæ accommo„ dare, constatque ita hoc *Phryges* nominare, „ parum quid declinantes & ὕδωρ, & κύνας, „ aliaque permulta" (*d*). Sed nec invexerunt modo; verum e contra Phryges quoque ipsi *Græcas* etiam loquendi formas in linguam propriam transtulerunt. Has porro auxerunt Coloniæ illæ *Græcorum*, quas in Germaniam & Galliam olim deductas fuisse demonstrat Lazius De migr. Gent. Lib. 1. Hinc Germani hodierni nominibus singulis, Græcorum instar, *articulos* præponunt; Sclavi contra Latinam seu *Phrygiam* vetustissimam linguæ proprietatem, nomina per *casus* declinando, sequuntur: quare & Germani veteres *Gallo-græci* & *Græco-Scythæ* interdum appellantur. Contra vero *Lituani* Poloniæ Populi se Romana, seu *Latina* origine es-

(*a*) Strab. Geogr. Lib. 7.
(*b*) Samuel Bochart. Geogr. Sacr. Lib. 3. c. 11.
(*c*) Geograph. Lib. 3.
(*d*) In Cratil.

se prædicant: Et Sclavi *Valachi*, quorum linguam similem esse Italorum Linguæ ex Laonico probavimus. Sed de his plura in alio Opere, cui jamdudum manum admovimus, adjuvante Deo, tractabimus.

Quinto. Auctoris vetusti Alphabeti Glagolitici nomen, ignotum non esse. Si enim *Sclavi* & *Getæ* veteres *Phrygio* fuisse genere dicendi sunt, *Phrygiumque* Alphabetum vetus, idem cum Alphabeto *Glagolitico*, & *Runico* antiquo extitit, ejus *Auctor* ex Cicerone innotescit; inquit enim: „ Alter *Hercules* traditur Nilo natus Ægyptius, „ quem ajunt *Phrygias* litteras conscripsisse (*a*). Certe legimus apud Tacitum: „fuisse apud „ (Germanos) *Herculem* primum omnium vi„ rorum fortium": partemque *Svevorum Isidi* (*Ægyptiorum* Deæ) sacrificasse (*b*).

Tamen *Phrygias* litteras fuisse etiam *Hercule* isto Ægyptio antiquiores, Herodotus apud Clementem Alexandrinum memorat; inquit enim Clemens: „Herodotus refert, Herculem „ cum esset vates, & naturalis scientiæ studio„ sus, ab *Atlante* Barbaro *Phryge* mundi susce„ pisse *Columnas*". Strom. lib. 1. num. 132. De *Atlantis* Regno, & Historia multa apud Platonem (in *Critia*) scripta extant.

Fertur & alius sermo. *Fenisium* quemdam extitisse *Scythicarum* litterarum primum conditorem (*c*). Nomen hoc Cl. Mathias Belius Finnis Septentrionalibus populis applicat: vocem quo-

(*a*) De Natur. Deor.
(*b*) De Mor. Germ.
(*c*) Apud Belium de Vet. Litter. Hunno-Scythica sect. 2. §. 4.

quoque eam Hungaricam esse statuit; *clarum*, vero, & *Illustrem* significare; atque ita Linguæ Hungaricæ vestigia in *Finnico* idiomate se deprehendisse testatur (*a*). Sed certe *Finnorum* nomen ad aliam linguam potius, quam ad *Finnicam* pertinebat; inquit enim Cl. Stierhielmius in citata Epistola ad Verelium": *Finnones* no-„ stri domi nesciunt *Finnones* se vocari" (*b*) Credibilius ergo est *Finnorum* nomen inde processisse, unde & *Venetorum*, a Græca nempe *Sclavonici* nominis interpretatione, qua αἰνετοί, vel φαινετοὶ a φαίνω, & φαεννοὶ, a φάω, *laudabiles*, scilicet & *Clari*, seu *illustres* vocabantur populi illi, qui se ipsos lingua propria *Slavos*, idest *Gloriosos*, *clarosque* appellabant.

Sic Trojanus Heros *Phrygio* genere ortus, gentisque Romanæ Conditor *Æneas* appellatur: suoque nomine demonstrat, ut modo *Sclavis*, sic olim *Phrygibus* in usu fuisse a *gloriæ* vocabulo propria nomina derivare, quæ tamen Græci in suam linguam vertebant: quemadmodum & de *Agaves* Cadmi filiæ, *Antenorisque* nominibus Thracicis supra notatum est.

Solebant enim Græci veteres, & Ægyptii barbarica nomina in propriam linguam convertere. Inquit enim Plato": Sed antequam refe-„ ram admonendi estis, ne miremini si plurima „ *barbarorum* nomina Græce nunc audieritis. Id „ enim, ex eo contigit, quia Solon cum cogita-„ ret illa carminibus suis inserere, vim ipsam „ est nominum persecutus, invenitque primos „ illos Ægyptios harum rerum Scriptores in „ lin-

(*a*) Ibid. §. 5.
(*b*) Apud Kederum Differt. citata pag. 33.

„ linguam suam ea nomina transtulisse. Quare „ & ipse rursus cujuscumque nominis *sensum* „ accipiens in vocem nostram convertit . " (*a*) Sic Procopius Sclavorum Russorum nomen interpretatus a *Rosseja* voce Sclavonica , quæ *disseminationem* sonat σπόρους eos antiquitus appellatos dicit (*b*). *Fenesius* ergo Græco nomine dictus videtur esse ille Sclavorum Auctor, quem Mirchondus , & Abulpheda apud Assemanum *Seclab*, seu Sclavum appellant : (*c*) quæ vox *Illustris*, *Clarus* , *Gloriosus* interpretatur, unde Sclavonica natio universa modo *Sclavi* , & *Sclavini* propria lingua , modo etiam *Venedi* Græca ejusdem nominis interpretatione dicuntur . Atque hunc ego *Glagolitici* seu *Venedici* Alphabeti inventorem fuisse suspicer.

Porro Fenesium eum etiam fuisse puto , quem Greci veteres *Polyphemum* appellavere, qui & Illyrios , Celtas , & Gallos condidisse scribitur. (*d*) *Polyphemus* enim Græcis πολύφημος , *celebrem* nempe & *illustrem* , *multæque famæ* virum significat : quod & *Fenesii* nomen audire apud Belium, docuimus . Sed hæc nisi quatenus antiquissimæ rei exigua continent vestigia, procul ad fabulas amandamus.

Denique *Fenesii* ipsius nomen, si pro Hercule accipiatur, potest etiam ad *Phœnicium* Herculem pertinere ; siquidem apud has quoque gentes litteræ inventæ esse dicuntur . Inquit enim

(*a*) In Critia.

(*b*) Apud Assem. Kal. T. I. part. 2. cap. 3. pag. 209.

(*c*) Ibid. cap. 2. pag. 206.

(*d*) Appian. in Illyr.

enim Piinius Lib. 5. cap. 12. " Ipsa gens *Phœnicum* in *gloria magna litterarum inventionis*, & Syderum, navaliumque, ac bellicarum artium. " De Hercule vero *Phœnicio* ita Eusebius ad num. CCCXCVIII. qui fuit Mosis An. LXXIII. Ἡρακλέα τινὲς φασιν ἐν φοινίκῃ γνωρίζεσθαι Διωδαῦ ἐπιλεγόμενον. Et ibidem Hieronymus : " Hercules cognomento *Desnavus* in *Phœnice* clarus habetur; " Apud Bochart in Præf. Lib. de Colon. Phœnic. Quid nomen *Desnavus* importet, ignorant Eruditi. Ego pro *Desnavo Sclavum*, vel *Seclabum* illum Mirchondi, & Abulphedæ legerem, nisi vererer nimiæ audaciæ notam incurrere, cum quidem constet *Sclavorum* nomen Justiniani Imp. ætate a *Procopio* primum usurpari occepisse. Assem. Kal. Tom. 1. Part. 2. cap. 2. Getici autem vel Gothici, & Sclavonici generis hunc Herculem fuisse, aut certe apud Gothos seu Sclavos nomen suum clarum admodum reliquisse, melius colligitur ex illo ipsius *Desnavi* cognomine, *Dioda*. Nam præter *Desnavum* a Hieronymo additum, *Diodam* quoque appellatum fuisse ex Eusebio didicimus : quæ vox mirum quantum concordet cum Theutonum, & Getarum nominibus a Germanis *Thiet*, & *Thiod* vocitatis, quemadmodum superius ex Leibnitio, & Sterhielmio docuimus.

Quod si aliquis ejusdem *Fenesii*, & *Phœniciorum* nomina cum *Venedis* componere, Sclavosque non Phrygii modo, sed *Phœnicii* quoque generis dicere velit, forsan non sine rationabili causa id attentare videbitur. Bochartius enim gentem hanc filios *Anak* fuisse demonstrat. Chan. cap. 1. Inter Nepotes *Gomer*,

quos

quos Phryges esse idem Bochartius dissertis verbis probat (Geogr. Sacr. Lib. 3. cap. 8.) a Philone Judæo in Lib. Ant. Biblic. Si tamen est legitimus iste Philonis liber *Anak* recensetur. Inquit enim: " Filii Japhet Magog, Madai „ Nidiazec, Thubal, Mocteras, *Cenez* (Scil. „ *Ascenez*) Rhiphat, & Thogarma ..... Et „ Filii *Cenez* (scil. *Ascenez*) Jubal, Zaradda- „ na, *Anac*. " Miror itaque Cl. Bochartium *Anacæos*, seu Anaci filios qui *Phryges* erant, inter *Chananæorum* familias recensere, cum *Chananæos* non ex *Japeti*, sed ex *Chami* stirpe ortos esse sciamus. Tamen deceptum puto a Græcis Auctoribus, quibus Scythæ veteres & proprii (quorum pars *Phryges*) admodum ignoti semper fuere. Strabo enim Terrigenas, idest Gigantes *Phrygia* stirpe creatos variis nominibus appellatos fuisse dicit: veteresque de illis incerta tradidisse. Inquit enim Lib. 10. " Is „ qui Phoronidem scripsit, tibicines *Phrygios* „ facit Curetas, alii Terrigenas, & æreis scu- „ tis armatos. Ille autem (Hesiodus) non Cu- „ retas facit *Phryges*, sed Corybantes: illos au- „ tem Curetas: arma vero ænea sumpsisse pri- „ mum in Euboea, indeque Chalcidenses ab „ aere (quod est Chalcos) dictos. Alii Ti- „ tanibus Rheæ datos famulos armatos Cori- „ bantes, e Bactriana (alii e Colchis ajunt) „ profectos. In Cretensi Historia Curetes Jovis „ Alumni dicuntur, & Custodes in Cretam e „ *Phrygia* exciti a Rhea ..... Alii Saturni „ prolem eos faciunt .... Alii aliter fabulan- „ tur, incertis incerta annectentes, diversos & „ numeros, & nomina ponentes, Salaminum, „ Damnanæum, *Herculem*, & Acmonem inter eos

„ re-

„ referentes. (*a*) Confundebant enim eos cum *Chananæis*, inter quos versabantur, & Philistinis, vicinisque Ægyptiis, cum quibus de generis antiquitate contendebant. Hinc *Chananæos*

(*a*) Vocantur etiam Idæi Dactyli. Nam *Phryges* erant & barbari Idæi *Dactyli*, Clemente Alexandrino teste: Stromat. Lib. I. cap. 132. *Idæi* vero dicti sunt ab *Ida* Phrygiæ, Cretæ, vel Arcadiæ Monte; quin potius Hebraico vetustissimo stylo (*Idæi*) *Videntes*, idest Jovis Prophetæ & Ministri. *Ida* enim dictus est Mons iste ab ἰδεῖν *videre*, quod *Jovi* esset Sacer, qui etiam in Alphabeto Glagolitico *Vitas* quasi *Idæus* idest *Videns* dicitur. Hinc illud Virgilii Æneid. 3.

„ Creta *Jovis* Magni medio jacet Insula ponto,
„ Mons *Idæus* ubi, & Gentis cunabula nostræ.

Græci quoque veteres eundem *Jovem* Θεοί dixere a verbo θεάω & θεάομαι Specto, Video, quod ipse θεᾷ seu θεᾶται τὸ πᾶν inspicit omnia. Cyrillus quoque de Ægyptiis hæc tradit. “ Cum Deum sive supre„ mam, & omnia exuperantem illam naturam signi„ ficare volunt, pingunt *oculum*, cui rectam virgam „ subdunt, ut eadem opera intelligetur ejus omnia „ intuendi vis, atque adeo regalis majestas. ” Contra Jul. Lib. IX. Nec omittendus Pausanias, qui in Corinthiacis hæc narrat: “ Jam Minervæ ædes pro„ xima valde digna est, quæ spectetur: in ea cum alia „ signa posita sunt, tum Jovis ligneum *oculos* habens „ duos, qua in parte homini eos natura locavit, ter„ tium vero in fronte: hunc illum esse *Jovem* Pa„ trium tradunt, qui in Priami Laomedontis filii re„ gia sub divo positus fuit, ad cujus aram dicitur „ Priamus capto Ilio confugisse: obtigisse vero cum „ divisione prædæ Sthenelo Carpanei filio, hocque „ ipso in loco ab eo in rei memoriam dicatum. ” Jupiter ergo *Idæus* idem est ac *Videns*. Sic *Agar* Genes. cap. 16. v. 13. Vocavit nomen Domini, qui loquebatur ad eam: *Tu Deus, qui vidisti me*. Et *Abraham* Genes. cap. 22. v. 14. appellavit nomen loci illius, in quo obtulit holocaustum pro filio: *Dominus videt*.

naos ex *Illyrico* in *Germanicos* penetrasse quidam asserunt ex Hebræorum fide, de quibus Aben-Ezra in Abiam tradere scribit: " Alemanniæ „ incolas esse Chananæos, qui fugerant a fa- „ cie filiorum Israel. Apud Bochart. Geogr. Sacr. Lib. 1. cap. 23. Melius itaque Arabs interpres apud eundem Bochartium Lib. 1. cap. 11. qui *Ascenez* & *Gomeri* posteros, ex quibus *Anac*, Sclavos appellat.

Accedit & ipsum nomen *Anac* Sclavonicam sapere originem. Sclavi enim Heroem, virumque fortitudine illustrem *Junak* vocant. Nec omittenda urbium illarum cognomina, quas apud *Anacæos* inclitas fuisse tradit Bochartius: " Urbes præcipuæ duæ *Hebron* & *Debir*: qua- „ rum antiquior etiam ante *Tanim* condita Pha- „ raonis Regiam. Ea fuit Arx belli, ut *Debir* „ litterarum sedes; quæ proinde *Kirjath-Sepher* „ urbs librorum, & *Kirjath-Sanna* urbs Do- „ ctrinæ, vel Legis appellatur a Josua, & ab „ Interprete Chaldæo *Kirjath-Arche* Urbs Ar- „ chiviorum. Etiam *Hebroni* cognomen *Kirjath-* „ *Arbe*, *Arba* Civitas, qui fuit conditor gen- „ tis Anacæorum. " Chan. Lib. 1. cap. 1. Si enim hæc eadem urbium cognomina in Sclavonicam linguam vertamus, dicemus: *Sevar Grad Calami*, vel *Papyri* Civitas, unde veterum Libri: & *Sananja Grad Scientiæ Civitas*, vel *Sanata Grad*, *artium Civitas*. Quæ sanæ voces licet in vocalibus aliquatenus a primis recedant, radices tamen easdem atque affines cum Phœniciis retinent, eundenque fere sensum conservant. Nec mirum in vocalibus variationem intercedere; Phœnices enim ipsi non semper iisdem utebantur. Sic *Kirjat* urbs, in

Car-

Carthaginis nomine non *Kirjath*, sed *Cartha* occurrit. Sclavi quoque ipsi *Urbem* non semper iisdem vocalibus appellant; Dalmatæ enim *Grad*, Poloni *Grod*, Sclavi denique Germaniæ *Gard* voce propius ad *Cartha* accedente eandem vocant. Hinc *Star Gard* antiqua urbs vulgo *Aldemburg* in Germania celebris. Quod vero G in voce *Gard* pro C notatum sit, hoc inde factum esse tenendum est, unde & in Latini Alphabeti serie post litteram B occurrit littera C; in Græco vero non K, sed Γ ponitur. Ejus autem rei rationem assignat Cl. Bianconius in laudata Differt. pag. 55. ubi ait de littera Γ. " Ex hac formata est Latino„ rum littera C, quæ diu supplevit vices G. Ausonius

„ Prævaluit postquam Gamma vice functa
„ prius C.

Tertium denique Urbis Cognomen *Kirjath-Arbe*, ipsum quoque ad Sclavos videtur pertinere, qui *Harvati* etiamnum vocantur. Nolim igitur doctos viros adeo fuisse in judicando præcipites, qui Abraham Frenzelii (cujus Opera legere copia non fuit) & aliorum sententiam de Sclavonicæ linguæ cum Hebræa affinitate risu exceperunt; maxime cum ejusdem linguæ indolem minime cognoverint: inter quos Bochartium quoque ipsum non excusandum judico, qui cum *Illyricæ linguæ* peritiam non adstruat, dixerit tamen, Geog. Sacr. Lib. 1. cap. 23. " in *Illyriorum lingua*, aut moribus non „ esse quidquam quod Phœniciam originem „ redoleat". Quare & his meis pagellis Sclavonicæ linguæ gnarum opto Judicem.

Sex-

Sexto. Hieronymum Sclavonicarum litterarum nomina non invenisse, licet litteræ Glagolitico Alphabeto comprehensæ, & nomina earum Hieronymo Synchronæ esse potuerint.

Alphabeti enim hujus Auctor litteras, seu elementa sua, Vito Sclavorum Deo auspicata esse voluit; ita enim ex ejusdem Alphabeti interpretatione apparet: suadetque ipsum Alphabeti nomen *Bukvitza*, quod *Deum Vitum* sonat: easque *Dei Viti* litteras esse indicat. Plures autem Sclavorum Dii Viti denominationem obtinebant; Erant enim *Svantovitus*, *Porevitus Mevitus*, *Auschevitus*. *Svantovitus* supremum Deum, *Vitum* Deum *vindictæ* (*a*), *Porevitum* Deum prædarum, *Mevitum* Deum divitiarum, *Auschevitum* Deum ægrotantium, & fanorum fuisse tradunt (*b*). De Svantovito supremo Sclavorum Deo hæc habet Schedius": Præ cæ-
„ teris populis ad maris Baltici littus *Rugiani*
„ Svantovitum coluerunt. Cujus fanum prima-
„ rium, ipsaque statua in Metropoli Arconæ
„ fuit. Originem tradunt Dubravius lib. 1. &
„ Crantius lib. V. Vandaliæ, & Saxo Gram.
„ lib. XIV. hujusmodi: Victi a Carolo M.
„ *Rugiani Sclavi*, & S. Vitum Corvegiensem
„ Mar-

(*a*) *Vindictæ* adhuc dediti sunt Sclavi Dalmatæ, & apud illos fere vindictam non suscipere, religio est; juxta illud vetustissimum gentis axioma: „ Kose ne Osveti, onse ne posveti", id est: *Ille, qui sui vindictam non suscipit, non se sanctificat*. Hinc *vindictam* (Osveta) *Sanctificationem* appellant. Dictum enim erat *antiquis: Odio habebis inimicum tuum*. Matth. cap. 5. v. 43.

(*b*) Vide Sched. de Diis German. cap. 11.

Pag. 64.



Svantovitus

„ Martyrem colere juſſi, jugo demum abjecto, „ ut fidem datam, ſic religionem acceptam mutarunt, & in contemptum Corvegienſium ſimulacro ſuo Svantoviti nomen indidere, „ & tributum Vito pendi ſolitum quotannis tribuere, uſque ad Enricum Danorum Regem, „ qui expugnato Oppido Idolum ſuſtulit. In „ Arcone Civitate fanum ejus erat duplici ſeptorum ordine clauſum, unico oſtio adeundum. E quibus exterior parietibus contextus „ puniceo culmine tegebatur. Interior vero „ quatuor ſubnixus poſtibus, parietum loco penſilibus aulæis nitebat, nec quicquam cum exteriore præter tectum, & pauca laquearia „ communicabat. Formam ejuſmodi tradit Saxo Gramm. lib. XIV. Hiſt. Dan. Ingens in „ Æde ſimulacrum, quatuor capitibus, totidemque cervicibus, e quibus duo pectus, tidemque tergum reſpicere videbantur. Cæterum tam ante, quam retro collocatorum, „ unum dextrorſum, alterum lævorſum aciem „ derigebat. Raſa barba, crines attonſi, Ruгianorum ritu. In dextera cornu vario metalli genere excultum geſtabat, quod Sacerdos annuatim mero perfundere conſueverat: „ ex ipſo liquoris habitu ſequentis anni copias „ proſpecturus. Læva arcum, reflexo in latus „ brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens, pedes humo contigui, eorum baſi intra ſolum latente. Haud procul frenum, ac „ ſella ſimulacri, compluraque divinitatis inſignia. Quorum admirationem conſpicuæ granditatis enſis augebat, cujus vaginam, ac capulum, præter excellentem cælaturæ decorem „ exterior argenti ſpecies commendabat. Semel

„ quotannis, ut Munſterus lib. III. Coſm. ſcribit poſt lectas fruges mactatis ante oſtium templi victimis, ſolemne gentis epulum erat. Ædem Sacerdos verſabat, ſpiritu oris compreſſo, quem quoties renovare opus erat, ad oſtium decurrit, ne humano habitu numinis præſentia offenderetur. Primo mane excubante ante fores populo, Sacerdos ingreſſus, cornu, quod priore anno impleverat, contemplatur, & ſiquidem ea plenitudinis menſura reſponderet, uberem pronunciat futuram meſſem: ſi qua parte minutum, diligentius jubet aſſervari fruges cariſtia iminente. Tum vetus merum delibans ad pedes ſimulacri profundit repletumque haurit, atque in eandem formam mero plenum dexteræ numinis reſtituit. Placentam quoque ea magnitudine adhibito mulſo effingunt in formam rotundam, ut poſt eam homo latere poſſit. Huic ſacer equus erat, quo in prælia ferri credebatur: de quo in II. Syntagmm. Sed & penſiones, & ſpolia huic Idolo quærebantur. Namque nummus ab unoquoque, ut Saxo Lib. XIV. refert, annuatim in hujus ſimulacri cultum pendebatur, cum ſpoliorum ac prædæ parte tertia. Hoc Idolum quoque trecentos equos, totidemque Satellites in eis militantes habebat: quorum omne lucrum, ſeu terra, ſeu mari quæſitum Sacerdotis cuſtodiæ ſubdebatur. Ille ex earum rerum manubiis diverſi generis inſignia, ac varia templorum ornamenta conflabat, eaque obſeratis arearum Clauſtris mandabat: in quibus præter abundantem pecuniam, multa purpura vetuſtate exeſa congeſta fuerat. Illic quoque publico-

„ rum

„ rum munerum, ac privatorum ingens copia
„ visebatur. Hanc statuam totius Sclaviæ pensionibus cultam finitimi quoque Reges donis prosequebantur. Tandem Valdemarus Danorum Rex, ut idem tradit, & Helmoldus lib. II. Cap. XII. refert, expugnata Arcone Rugianorum Urbe Svantoviti statuam succisam dejecit. Frequens ædem purpura circumpendebat, situ tam putris, ut tactum ferre non posset. Nec sylvestrium bestiarum inusitata cornua defuere, non minus suapte natura, quam cultu miranda. Dæmon in furvi animalis figura penetralibus excedere visus subito se circumstantium luminibus abstulit. Oppidani simulacro funem injicere jussi, cum id pristinæ religionis metu exequi nollent; captivis exterisque quæstum in urbe petentibus, ut illud ejicerent, imperabant. Quippe domestici numinis Majestatem, quam tanto cultu prosequi consueverant, graves e vestigio pænas a suis violatoribus exacturam putabant. Tum vero variæ incolarum voces exaudiebantur, alii Dei sui injurias lamento, alii risu prosequentibus. Vespera appetente, omnes qui culinis præerant, simulacrum attentatum securibus, in exigua frusta, aptosque foculo stipites redegerunt. Diu tamen superstitio ejusdem simulacri, ut Dubravius lib. I. scribit inter Boemos viguit, donec Venceslaus Princeps Boemiæ, impetratis ab Othone Cæsare Divi Viti reliquiis religionem mutavit. At ne sic quidem memoriam Svantoviti delere ex mente Boemorum quivit: quippe nunc quoque nullam magis solemnem Boemi salutationem habent, quam

„ eam, quæ fit ſub Viti nomine: excepturi „ enim vel hoſpitem, vel amicum, vel inermem quemquam peregre advenientem, *Witæus*, *Witæus* ingeminant; velut ſoſpitati a „ S. Vito conceſſæ, congratulantes. Quandoquidem ita evenit, ut peſte inter vicinos increbeſcente, ipſi dumtaxat, qui Svantovitum „ colebant, a contagio integri, & incolumes „ permanſerint" (*a*). Quantum hæc Svantoviti ſuperſtitio veram, non in Boemia tantum, ſed in *Dalmatia* quoque ipſa, Sclavorum religionem fœdaverit, colligi poteſt ex his, quæ nobis ante aliquot annos contigerunt. Ruri vere novo morabamur, (nam & rure valde gaudemus), cum die quadam Vetulam circa ovium caulam quædam admurmurare, orationemque aliquam devote recitare notavimus. Propius acceſſimus, & continuo verba quædam nova ab ea prolata curioſitatem tantam nobis injecerunt, ut integram orationem clara voce repetere ipſam cogeremus. Aſtitit Anus invita, voceque tremula ita prolocuta eſt: „ Sveti Vide, coji vidis; Sveti Luca, coji luçis; „ Sveti Paravia, coji tatu ruke vexes, i Vuku Zube pobijes, ti uçuvaj Ovze moje &c." Ideſt: *Sancte Vite, qui vides; Sancte Luca, qui arces; Sancte Paravite, qui furi manus colligas, lupoque dentes pertundis, tu cuſtodi oves meas &c.* (*b*) Protinus tacere juſſam monuimus, ſu-

---

(*a*) De Diis Germ. cap. 7.

(*b*) Hi ſunt Sclavorum ruricolarum inter alios tute-

ſuperſtitioſum eſſe hoc precum genus; & ne in poſterum ita oraret, ſeria increpatione præcepimus. Ex ea autem Oratione patet, *Svantoviti*, & *Paraviti* ſuperſtitionem etiamnum in Dalmatia vivere; quibus ſicut ex notatione nominis *videndi*, ita S. Lucæ *arcendi* poteſtatem tribuerunt. *Luk* enim Sclavis *Arcum*, & *Luçit arcere* ſignificat.

Hæc vero ſi diligenter ſcrutari velimus, ſuſpicionem nobis ingerere facile poſſunt, Glagoliticum Sclavorum Alphabetum tantummodo Caroli M. temporibus repertum fuiſſe: ac forte ab eo ipſo Chriſtianæ religionis perduelle, qui *victis ab eodem Carolo M. Rugianis Sclavis, & S. Vitum Corvegienſem Martyrem colere juſſis auctor fuit, ut jugo demum abjecto fidem datam, & religionem acceptam mutarent; & in contemptum Corvegienſium ſimulacro ſuo Svantoviti nomen imponerent*, quemadmodum ſupra Saxo

E 3 Gramm.

---

tutelares Dii, ut olim *Satyri* & *Nymphæ* apud Romanos. Vide Diſſert. Cl. Zanettii Italicam *ad nos directam*, atque editam Venetiis An. 1761. cui Titulus: *Oſſervazioni ſopra un antico Baſſo-rilievo votivo del Muſeo Nani in Vinegia ec.* Item Diſſert. Cl. Paſſerii editam Venetiis An. 1759. cui titulus: *Oſſervazioni del Sig. Abate Giambattiſta Paſſeri ec. ſopra alcuni monumenti Greci e Latini conſervati in Venezia nel Muſeo dell' Eccellentiſſima Patricia Famiglia Nani. n.* 4. De Sclavis enim ita Procop. De Bell. Goth. Lib. 3. „Sylvas prætere & *Nymphas* „ hi colunt, & Dæmones alios, hiſque ſacrificia „ peragunt, & inter ſacrificandum *vaticinantur*.

Gramm. apud Schedium tradidit. Sed quidquid dicat Schedius ipse, & citati ab eo Auctores de *Svantoviti* cultus origine, puto ego, eum fuisse longe antiquiorem, *Vitumque* vetustissimum Gothorum Deum extitisse; qui tamen ætate Caroli M. nomen tantum in Svanto-Vitum, seu Sanctum Vitum mutaverit. Qui enim illa Gothorum Principum vetustissima nomina, *Vitigis*, scilicet, *Viderici*, *Videmiri*, *Vidiculæ*, & aliorum, quorum ut inquit Jornandes „in hac gente magna opinio est, qua„les vix Heroes fuisse miranda jactat antiqui„tas: & quos Semideos, idest *Anses* vocavere" (*a*)? Nescio tamen, an hæc de *Antis* intelligenda sint, quos certe idem Jornandes *Sclavorum fortissimos* appellat (*b*). Huc pertinent versus illi, quos ex *Edda Sæmundi* recitat Vormius Litterat. Run. cap. 2.

„ Runasne scis & resolutos characteres
„ Prægrandes characteres, prævalidos cha-
„ racteres
„ Quos formarunt Deastri
„ Et Fimbul senex illuminavit,
„ Ac incidit Odinus
„ Odinus inter Asas, inter sanos Duali-
„ nus, & Dainus inter Nanos.
„ *Asvidus* (*quasi Ausche-Vitus*) inter Cen-
„ tauros, ipse quasdam incidi.

Accedunt illa etiam, quæ tradit Suffridus Petrus

(*a*) De Reb. Get.
(*b*) Ibid.

trus Leovadiensis de Origin. Frisior. Lib. 2. cap. 11. inquit enim: " Itaque cum hic *Wiit* „ ducta *Bocchi* (*a*) Cimbrorum Regis filia Cu- „ mera in dotem a Socero accepisset partem „ unam Cimbricæ Chersonesi, quæ nunc Du- „ catus Slevicensis dicitur, pars hæc a novo „ Domino tunc *Wytland*, hoc est *Viti terra*, „ & subditi ejus *Vitæ*, id est, *Wytlanders* dicti „ sunt, atque ita quidem *Vitæ* fiunt ex *Wyt*, „ in quo nihil est absurdi, cum & aliis pro- „ vinciis nomina a Dominis & possessoribus „ imponi novum non sit. Ex eodem porro „ nomine *Wyt* vulgari litterarum transpositio- „ ne *Jute* fiunt." Et paulo supra. " In *Frisia* „ ubi ob veterem (*b*) *Herois*, idest, *Witæ* me- „ moriam nomen ejus celebre, & utrique sexui „ communiter hactenus usitatum est, qui id „ referunt viri quidem *Wytse*, fœminæ vero „ *Wyts* populari lingra dicuntur." *Vitas* etiam

 Ve-

(*c*) *Bocchi*. Quidquid sit de hac historia statuendum, patet profecto, *Bocchi* & *Viti* nomina Glagolitico Alphabeto contenta, apud Cimbros, antiquissimis temporibus obtinuisse. De *Teutobocho* Theutonum Rege hæc Florus Lib. 3. cap. 3. "Cer- „ te rex ipse *Teutbobocbus*, quaternos senosque „ equos transilire solitus, vix unum, quum fuge- „ ret, ascendit, proximoque in saltu comprehen- „ sus, insigne spectaculum triumphi fuit, quippe „ vir proceritate eximia, super trophæa sua emi- „ nebat."

(*b*) Sclavi *Heroes* etiamnum *Vitezos* a *Vito* appellant.

Venerabilis *Beda* nominat, quos versio Saxo-
„ nica *Getas* appellat. *Robert. Sheringhamus de Anglorum Gentis origine* cap. 2. pag. 37.

Forte etiam *Viti* Dei nomen in ipso *Vinidorum*, seu *Venedorum* latet nomine, quos Germani *Vindos* vocitant. (*a*) Sclavi enim litteram N. ante D. positam solent interdum abjicere. Hinc quem Germani *Svento-Vitum* dixere, Sclavi propria lingua *Sveto-Vitum* appellant: & quem illi *Sventi-Bolcum*, isti *Sveto-Bochum*, vel *Sveti-Bogum*. (*b*) Rursus Provinciam illi Germaniæ Misniam olim Dalmatiæ cognominem *Deleminciam* appellavere, quam Sclavi Dalmatiam vulgo dixerint. (*c*) Hinc Videmirum Gothorum Regem Jornandes quidem (*d*) *Widemirum*; Paullus vero Diaconus *Vindemirum* appellat. (*e*) Eodem fere modo & Hungari Polonos *Lengel*, addita littera N. a Lecho Conditore vocant: & apud Anglos D. cum mutatur (ut ait Daviesius in Grammat. Camb. fol. 25.) transit in N. Unde ex *Lludd* fit *Lund*. apud Robert. Sheringhamum de Anglorum Gentis Orig. cap. 1. pag. 21. Hæc cum ita sint, videtur profecto idem esse *Vitus* Sclavorum Deus cum *Vindo* seu *Vinido*, & Fenisio illo

(*a*) Crautzius apud Ortel. Synon. Geogr. in v. *Vandali*.

(*b*) Hanchius de Silesiorum rebus An. 893.

(*c*) Vid. Farlat. Illyr. Sacr. Tom. I. Proleg. Part. 2. cap. 3.

(*d*) De Reb. Get. cap. 18.

(*e*) Hist. Miscell. Lib. 16.

illo Sclavorum auctore, & inventore *Venedicarum* litterarum, a quo postea Sclavi *Vindi*, & *Veneti*, seu *Venedi* appellati sunt.

Piaculum est ergo *Hieronymo* Alphabeti *Glagolitici* inventum tribuere. Quid enim tantæ doctrinæ, & sanctitatis viro indignius, quam ut Alphabetum Sclavonicum dicatur invenisse, illudque *Vito* profano Sclavorum numini consecrasse? Nil vetat tamen credere, Alphabetum hoc, ipsa etiam Hieronymi ætate apud Sclavorum nationes extitisse; quemadmodum & Gothicæ illæ, quas vocant, seu *Runicæ* litteræ jam tunc extitisse dicuntur. Quis enim credat, Sclavorum populos, qui longe ante Hieronymi tempora inter Romanos Græcosque versabantur, litteris prorsus, & in universum caruisse: aut vicinorum, sociorumque populorum litteras cum religione non adoptasse? Quandoquidem „litteras (verba sunt Cl. Bianconii) „ semper fuisse necesse est a regnis & Civitatibus, imo ab humanis convictibus constitutis: cum sine illis neque rerum anteactarum „ memoria possit esse, neque præsentium ordo, „ neque recta successio futurorum. (*a*)

Septimo. Cyrillum, & Methodium Sclavorum Apostolos, aut litterarum Sclavonicarum nomina non invenisse; aut si invenisse dicantur, e Sanctorum Albo esse expungendos.

Nam quod de Hieronymo dictum est, idem etiam de *Cyrillo*, & *Methodio* Sclavorum Apo-

sto-

(*a*) In Differt. de Antiquis litteris Hebræor. pag. 60.

ſtolis eſt ſentiendum. Eo enim neceſſitatis devenimus, ut ſi Sanctorum faſtis eos rite adſcriptos eſſe velimus, nullatenus hujus Alphabeti inventores fuiſſe ſtatuamus, oportet. Fieri tamen potuit, ut ipſi etiam *adauctores* ejus extiterint, *inventores* vero minime. Sæpe enim fit, ut rerum inventores iisdem rebus vocentur illi etiam, qui operi cuidam priſco novi aliquid addiderunt; ſunt tamen *adauctores* potius dicendi, quam *inventores*. Exemplum profero ex Cl. Kohlio, quem ſimili quadam loquendi forma pene induxerunt Scriptores, ut *Truberum* & ipſe Glagolitici characteris inventorem faceret; inquit enim: " Equidem ſi „ *Truberi* primum tempore hæc imprimendi „ ratio innoteſcere cæpiſſet, præter Dalmaticum ſcilicet latinum characterem, & hunc „ Glagoliticum eidem adſcriberem: præſertim „ cum Philippi Nicolai in lib. de Regno Chriſti, & aliorum teſtimoniis, plane novas Sclavonicas litteras *inveniſſe* hic dicatur." (*a*) Additas autem & interſertas eſſe novas litteras veteri Alphabeto Glagolitico, tum ex turbato elementorum quorundam ordine, tum ex litterarum nomina efferendi ratione varia plane dignoſcitur; quemadmodum in ſuperius notatis demonſtratum eſt: quæ tamen argumento eſſe poſſunt, *Cyrillum*, & *Methodium* tantummodo novas aliquot litteras Alphabeto Sclavonico cuidam veteri addidiſſe: nominaque litterarum vetuſta & ſuperſtitioſa immutando, religio-

(*a*) Cap. 2. §. 3. pag. 80. in Not.

ligioni etiam cavisse. Porro hoc ipsum Alphabetum ita a *Cyrillo*, & *Methodio* emendatum, credibile est, SS. Viros Græcis etiam formis juxta *duplicem* Ecclesiarum *Græcæ* & *Latinæ* Ritum scriptitasse: unde & *duplex* scribendi forma processerit, altera quidem ad *Græcam* accedens pro Sclavis *Bulgaris* & *Serblis* Græcorum propinquis; altera vero *Runicæ* similis pro Sclavis *Moravis* & *Dalmatis*, Gentium Gothicarum agnatis, Latinarumque conterminis. Cæterum quidquid sit super hoc negotio statuendum, orationis vela contrahentes, plus ultra vasto hoc in gurgite navigare, illis, quibus *robur* & *æs* triplex circa pectus est, barbarica loca perlustrandi, libenter concedimus: Sitque satis *Cadmi nigellas filias* (*a*) longis erroribus actas, atque

---

(*a*) Auson. Ep. 4. v. 72. Sic ego *Runas* cum Ausonio vocito. *Runæ* enim non a Germanico *Ryn*, arare, dictæ esse videntur, quod vulgo creditur; sed potius a Sclavonica voce *Ruino*, quæ *nigrum* colorem significat. Quare & in pervetustis Sclavorum Carminibus *Ruino vino* nigrum vinum dicitur: & lignum capillis nigro colore tingendis aptum Græci P[illegible], Sclavi *Rui*, & *Rugg* appellant, Dioscor. Lib. 1. " Decoctum capillos nigrificat. " Itali *Scodano* & *Cotano* vocant apud Matthiol. in Not. Plinius quoque *Cotinum* ad colorum usum insignem esse tradit. Inquit enim Lib. 16. cap. 18. " Est & in „ Apennino frutex, qui vocatur *Cotinus* ad linea„ menta modo, conchylii colore insignis. " Denique *Magas* illas mulieres, quas Jornandes de Reb. Get.

atque sub variis latitantes formis dudum ignotas, nostris denique indiciis, ut speramus, proditas, ex Adriæ *Melanchlænis* ultra *Cimmerias tenebras* ad Sarmatas nostros, quibus eas enixe commendamus, & Hyperboreos *γλωσσο-χρωματιζομένας* reduxisse; ubi ut olim ultimus Scy-
thi-

Get. *Aliorunas*, seu *Alrunas* vocat ex Sclavonica lingua & Punica, *Dei nigri* Sacerdotes interpretari possumus. *Hal* enim Punica lingua *Deum* apud Gesnerum, Sclavis *Deum malum*, seu Diabolum, sonat; cui additum *Runa*, vel *Ruina*, *Aliorunas* Dei Nigri, seu Demonis mali, & Diaboli Sacerdotes eas fuisse demonstrat. Philippus a Turre in Differt. *de Beleno*, Deum *Nigrum* a Sclavis alio quoque homine *Zernobog* appellari scribit; *Album* vero Deum ab iisdem propria lingua *Belenum* vocari. Inquit enim: " Inde Tibalenum eundem esse ajunt, quem
„ Sclavi *Zernobock*, seu *Nigrum Deum* appellant,
„ teste Helmoldo Lib. 1. Chron. Sclavorum cap. 53.
„ Nostri quoque Sclavi Montana Forojulii, qua
„ Carniolam spectant, incolentes, adhuc eodem pla-
„ ne vocabulo utuntur; *Zarne* quippe iis est Ni-
„ ger, *Boch* Deus. Præterea & Vandalos adhi-
„ buisse ea nomina reperio. Nam Deum malum
„ appellabant *Zerne-buck*; bonum vero *Bel-buk*:
„ erat enim illis *Bel* Albus, *Zerne* Niger, & *Bok*
„ Deus ..... Patet hinc, Belenum cultum fuisse
„ potissimum in Armorica Provincia Galliæ ad Ocea-
„ num, in qua Bojocassis Urbs sita erat, ex Va-
„ lesio in notitia Galliarum, & Pithæo, qui hoc
„ idem observat, exponens recitatos versus Auso-
„ nii

thici sanguinis auctor *Jupiter*, ita ætate nostra insolitum DEÆ jubar:

„ nimbis Aquilone remotis
„ Et Cœlo terras ostendit, & æthera ter-
„ ris. (*a*)

ER-

„ nii sub Sectione Lib. 1. cap. 3. Inter populos ve-
„ ro Aremoricæ præcipui accensetur *Veneti* apud Cæ-
„ sarem Lib. 3. de Bell. Gall. " Monemus tamen voces *Ruino*, & *Zerno* non tantumodo ad *nigrum* colorem, sed & ad *subrutilum*, *rubrum*, & *purpureum* significandum a Sclavis, litteris quibusdam immutatis, usurpari. Dicunt enim Ruino *nigrum*, Ruso *subrutilum*, & *rubrum*: Zerno *nigrum*, Zerglieno *purpureum*.

(*a*) Ovid. Metamorph. Lib. 1. vers. 328.

F I N I S.

	ERRATA.	SIC CORRIGE.
Pag. 6. l. 5.	Kohlius pag. 130.	Kohlius pag. 113.
10. Not. [a]	lib. 7. pag. 4.	lib 7. pag. 40.
14. Not. [b]	vivorum	virorum
19. l. 15.	Strabo ib.	Strabo lib. 4.
20. l. 10.	Vandalos	Venedos
27. l. 28.	pedum Caroli	pedem Ceroli.
29. l. 8.	ab gentis *claritatem*	ob gentis *claritatem*.
l. 13.	Gallia populos	Galliæ populos.
34. l. 17.	hæc habet	hæc habet Iliad. 13.
l. 18.	ἱππόπολων Θρηχῶν Χαθορωμενος	ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος.
35. l. 4.	ἴθνὺς	ἴθυνε
62. l. 1.	ex *Illyrico* in *Germanicos*	ex *Illyrico* in *Germaniam*.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *In Originem & Historiam Alphabeti Sclavonici Glagolitici vulgo Hieronymiani Disquisitio &c. a Clemente Grubisschio Studiosis proposita &c. MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Gio. Battista Pasquali* Stampator *di Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 11. Aprile 1766.

(Angelo Contarini Procur. Riff.
(Andrea Tron Cav. Riff.
(Girolamo Grimani Riff.

Registrato in Libro a Carte 272. al Num. 1713.

Davidde Marchesini Segr.



